# MARSILII CAGNATI VERONENSIS

## MEDICI ROMANI

ET IN ROMANA SCHOLA
profeſſoris primarij,

## OPVSCVLA VARIA,

Quorum index ſequenti pagina continetur.

Coll. Romani Societ. Jesu

ROMÆ,
Ex Typographia Aloyſij Zannetti. MDCIII.

*Superiorum Permiſſu.*

B. S.

## INDEX OPVSCVLORVM, QVÆ hoc volumine continentur.

*De Tiberis inundatione medica diſputatio.*

*Epidemia Romana, diſputatio ſcilicet de illa populari ægritudine, quæ anno 1591. & de altera, quæ anno 1593. in Vrbem Romam inuaſit.* 25.

*De Romani aeris ſalubritate.*

*De vrbana febres curandi ratione commentarius apologeticus.*

*De morte cauſſa partus.*

*De ligno ſancto diſputationes binę.*

*Ex quinto libro variarum obſeruationum nomina hæc parum nota enarrantur Pharmacopola, Aromatarius, Seplaſiarius, Ropopola, Catholicus, Vnguentarius.*

# ANNIBALIS SINIBALDI AVXIMATIS CARMEN

## Ad Marſilium Cagnatum.

O Quem te memorem, Marſili maxime, vel quo
Carmine compellem meritis non impare tantis?
Noſtra quibus late cumulas, venturaq. ſecla,
Nunc calamo memoranda docens, nunc voce magiſtra,
Sidera ſeu numeras proprios diſtincta per orbes,
Seu quæ fixa micant ſummi per concaua cæli,
Quaſque illis quondam dederit pater ætheris alti,
Scrutaris vires, obliquo lumine vel cum
Deſpiciunt terras, vel recto lumine luſtrant.
At, genus humanum miſeratus, ſuſcipis artes
Si quando medicas agitandas, cuncta ſagaci
Expendens animo, naturæ clauſtra recludis
Nulli nota prius, nigriq. a faucibus orci
Pene animas cogis languentum ad membra reuerti.

Cui

Cui fari vt poſsit, quod ſentit, gratius vnquam
Contigit? & cui nam molliſsima reddere verbis
Dum aptis quæuis, tibi quam, dulciſsime rerum,
Fas fuit vtilius? ſeu cum ſermone ſoluto
Diſſeris, aut numeris varijs cum carmina pangis?
Fulgida lux Phębo nigras ceu diſcutit vmbras,
Et rebus reddit, quem nox fugat atra, colorem,
Sic oculis nubem obductam tua viuida virtus
Summouet a noſtris immiſſo lumine veri.
Sed licet ingenio præſtes, & pectore culto,
Non hebetes ideo mos eſt tibi temnere amicos,
Vel naſo ignarum quemquam ſuſpendere adunco:
Immo aurem cunctis facilem præbere decorum
Reris. At, arcanas naturæ accedere partes
Quos iuuat, ingenua erudiendos excipis arte,
Et veri mira cupidos dulcedine comples.
Salue prima inter cęli data muniera nobis
Optime Cagnate, & nomen quot ducet ad annos
Fama tuum, tot te incolumem pia numina ſeruent.

# DE TIBERIS INVNDATIONE MEDICA DISPVTATIO.

Auctore

MARSILIO CAGNATO.

*EPIDEMIA ROMANA, DISPVTATIO ſcilicet, de illa populari ægritudine; quæ anno 1591. & de altera, quæ anno 1593. in urbem Romam inuaſit, eodem Auctore.*



ROMAE,

Apud Aloyſium Zannettum. M. D. IC.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# DE TIBERIS INVNDATIONE MEDICA DISPVTATIO.

Auctore

MARSILIO CAGNATO.

EPIDEMIA ROMANA, DISPVTATIO

*ſcilicet, de illa populari ægritudine; quæ anno 1591.*
*& deinceps, quæ anno 1593. [illegible]*
*Romam inuaſit, teſte Auctore.*

ROMAE,

Apud Aloyſium Zannettum. M. D. IC.

SVPERIORVM PERMISSV.

# DE INVNDATIONE TIBERIS MEDICA DISPVTATIO.

## CLEMENTI VIII. PONTIFICI MAXIMO, ET SANCTISSIMO.

### MARSILIVS CAGNATVS.

*FVTVRAS hominum calamitates ſignis aliquibus, quæ oſtenta & prodigia dicuntur, prænuntiari, fixum adeo in animis fuiſſe gentium, ac priſcorum præſertim Romanorum inuenimus, vt in eorum annalibns prodigia quæque, Senatui nunciata, diligentiſſime deſcripta legantur, eaque de cauſa ſæpe Dictator creatus, clauus fixus, ſupplicationes (inanes licet & ſuperſtitioſæ) decretæ, libri Sibyllini aditi:*

*vnde ſummum quoque eorundem in monſtris interpretandis, & procurandis ſtudium, & omnis aruſpicum diſciplina. Sed neque Græci minus ab eiuſmodi ſignis mouebantur, quando (vt veteres illos prætercam, quos exiſtimabant augurioru peritos, Amphilochum, Mopſum, Amphiaraum, Tireſiam, & quos Siculi nominarunt Galeotas, portentorum interpretum genus) Leuctricam pugnam; Lacedæmonijs tam memorabilem, quam grauem, & funeſtam; multis ſignis denunciatam, proditum eſt: in Herculis fano arma ſonuiſſe, eiuſdemque Herculis ſimulacrum multo ſudore manaſſe, templique valuas, repagulis clauſas, ſubito ſeipſas aperuiſſe, & huiuſmodi, atque grauis auctor Thucydides operæpretium putauit magni, ac diuturni belli narrationem à prodigijs exordiri (nam illa quoque prodigia vocari, animaduerti) terræ concuſſionibus, Solis defectibus, ſqualore, fame; quãuis fortaſſe ad peſtilentiam potius propediem futuram illa pertinerent, quam ad bellum præmonſtrandum (cum eo morbo non leuius, quam bello dicto, afflictæ ſint Athenæ) maior enim coniunctio intercedit peſtem inter, & ſigna, quæ narrauit Thucidides, quam hæc inter, & bellum: quod non niſi conſilio, & voluntate ſuſcipitur, morbi autem ſponte naturæ multi naſcuntur, præſertim communes, quique graſſari in vulgus ſolent: portenta vero illa (ſi tamen portenta dici mereantur) fuere eiuſmodi, quæ potuiſſent per ſeipſa, quem ſignificabant, morbum producere, ſqualor ſcilicet, & fames, ne de terræ motibus, & Solis defectibus, quorum eſt vis occultior, dicatur. Sed cur tam veteres memorias, & falſas gentium, variaſque opiniones repetimus? Nos, quibus ſum-*

*mo Dei Opt. Max. beneficio, via patefacta eſt veritatis, vix ſatis valemus animos noſtros ab huiuſmodi ſuperſtitionibus liberare: ſiquidem viſo Solis defectu, crinito apparente ſidere, motu terræ percepto, & huiuſmodi, fere nemini non confeſtim oritur ſuſpicio, ac formido cladis alicuius, & imminentis calamitatis; de qua etiam ij conſuluntur, qui rerum eiuſmodi gnari exiſtimantur. propterea; cum Tiberis auctus inter prædigia notatos apud rerum Romanarum ſcriptores legamus; nouum non eſt, poſt tam inſignem Tiberis alluuionem, quæ in diem incidit ante nonum Cal. Ianuarij; cui terræ quoque motus poſt dies paucos acceſſit; timorem exortum nouæ cladis alicuius propediem futuræ. Atque adeo res quoque digna eſt, quam ſalutis publicæ ſtudioſi diligenter examinent, atque inueſtigent, vt intelligatur, ab ea ne ægritudines oriri, quodque genus, qnaue tempeſtate, & quibus præſidijs tam publice, quam priuatim, occurri malis imminentibus poſſit. De qua re pauca quædam pro virili parte vt exararem, fecit tua, Sanctiſſime Pater Clemens, ſumma, & ſingularis pietas, & clementia, dum omni genere officij nos doces, quantum publicæ ſaluti inuigiles, quantum ſis de noſtra omnium incolumitate ſollicitus, quanto ſtudio teneariſ, vt, cum tua ſingulari prouidentia, tum diuina ope, tuis precibus impetrata, hæc procurentur, & (ſi fas eſt hoc dicere) auerruncentur portenta. Dicam autem primo vniuerſe quædam de Tiberis exundationum cauſſis, quoniam totius diſputationis caput eſt caußarum notitia. Videtur autem carere dubitatione, imbrium prouentu, & liquatis niuibus fluuios creſcere; neque non mari ventorum impetu in*

*amnes*

*amnes influente; quamobrem in contrarias partes illi nonnunquam fluunt; quod prodigij loco, cum accidit, obſeruatum eſt. torſit diu priſcorum ingenia Nili per æſtatem incrementum, cauſſam eius non aſſequentia, quod exiſtimarent Solis æque ardore Africam torreri vniuerſam, atque ideo niuibus, & pluuijs carere: quamobrem veteres multa commentos, præcipue apud Herodotum, legimus, & Siculum Diodorum. Sed, vt veterem opinionem illam; in qua fuit etiam Ariſtoteles; circiter æquinoctialem circulum terram eſſe inhabitabilem, certis iamdiu nuntijs conſtat, ex frequenti ad ea loca peregrinatione, falſam eſſe, ſic certiores quoque facti ſumus, ſtatis anni temporibus alicubi, maxime vero in Abiſſinorum regione, in qua Nilus exoritur, eandem Africam pluuijs irrigari, à quibus & Nilus annuum accipit incrementum (quemadmodum & Niger, de quo eadem quæ de Nilo prodita ſunt) multis quoque amnibus in ipſum influentibus, qui pariter imbribus creſcunt: vt iam conſtet, Agatharchidem (vt Diodorus eſt auctor) recte de Nili incremento ſenſiſſe. atque adeo, quod Nilo contingit, fluuijsque omnibus, Tiberim quoque imbribus creſcere, & exundare, cum ratio ſuadet, tum ipſi euentus docent: nos enim, qui nunc vitam ducimus, & Tiberis auctus alias maiores, alias minores vidimus, & obſeruauimus, in pluuiarum prouentu fieri ſemper animaduertimus. quod ſi nonnunquam ſereno in vrbe, & circiter, cælo creſcit, vt euenit ſuperioris ſæculi anno nonageſimoquinto, & præſentis quinquageſimo ſeptimo, neceſſe tamen eſt, in locis ſuperioribus vel imbres fieri, vel niues liqueſcere, vel; ſi hæc non ita fiant; neceſſe eſt,*

*vento-*

*ventorum impetu mare intumeſcens in ipſum Tiberim influere, & decurſum eius retardare, quamobrem in locis humilioribus exundet, ſtagnetque. cuiuſmodi præſertim eſt plana hac vrbis pars, quæ nunc frequentius habitatur, & ſuburbana pariter planities, quam ſeiungit ab vrbe Tiberis inter pontem Miluium, & Vaticanum. eaque cauſſa eſt, quamobrem Plinius admonuit, nuſquam magis, quam in ipſa vrbe Tiberis aquas ſtagnare. cuiuſmodi cauſſæ non fuere præteritis ſæculis ignotæ, cum Liuius libro quarto Decadis tertiæ ſcripſerit, quo anno Coſſ. fuere Q. Fabius Maximus IIII. M. Marcellus III. aquas magnas, ac niues fuiſſe, Tiberimque inundauiſſe cum magna ſtrage tectorum, pecorumque, & hominum: & libro octauo Decadis quartæ, M. Fuluio, Cn. Manlio Coſſ. aquas ingentes fuiſſe, Tiberim duodecies campum Martium, & plana vrbis inundauiſſe. Sed ea diſertius à Dione ſcripta, quæ præſentem calamitatem perbelle repræſentant, quæ, licet nouerim ſatis eſſe vulgata, referam tamen, quoniam nos liberant à labore deſcribendi proximæ alluuionis incommoda, quam deſcriptionem fortaſſe aliquis in hac commentatione deſideraret. L. Domitio, inquit, Appio Claudio Coſſ. (qui fuit annus ante Natalem Domini fere LIII.) Tiberis, ſiue pluuijs ſupra vrbem immenſis delatis, ſiue vento ex mari violento effluxum eius repellente, ſiue Deo id quodam potius (ita enim creditum eſt) efficiente, incertum eſt. certe ita ex improuiſo inundauit, vt omnes in Vrbe planities ſtagnarent, multaque etiam editiora loca comprehenderet: inde ædes lateritiæ madefactæ, ruinaque proſtratæ, omniaque iumenta*

*ſubmer-*

*ſubmerſa, itemque homines, qui non in ſublimiora euaſiſſent, pars intra domos, pars in compitis deprehenſi perierũt, reliquæ etiam ædes vi inundationis, quæ multos dies durabat, vitiatæ, collapſæque, aliæ confeſtim, aliæ tempore intercedente. hæc ille, quæ docent, nouiſſe maiores imbribus, & ventorum vi Tiberim augeri. Sed euenit nonnunquam, vt cauſſæ dictæ omnes conueniant, vti nunc eueniſſe conſtat: nãque in humidiſſima ſuperioris anni conſtitutione, quæ nunc etiam manet, amnes aucti, lacuſque, & auſtrinis flatibus diu, & præter modum, præterque morem colluctantibus, intumuit admodum mare, & inde tam inuſitata, tamque inſolens facta eſt inundatio. neque poteſt hoc tribui ſolis auſtrinis flatibus; quamuis alias hoc fieri poſſe non negauerim; licet enim Herodotus recte illam damnauerit ſententiam, quã Thaleti attribuunt, Nilum Eteſijs creſcere, vſus argumento, quoniam Nilus ſtato tempore quotannis creſcit, cum Eteſiæ aliquando non ſpirent, aut non eodem tempore; illa tamen reprehenſio ita eſt moderanda, non creſcere quidem Solis Eteſijs, verum, ſi incrementi tempore Eteſiæ quoque fiãt, exundationem fieri maiorem; nam, ſi vtcumque flatus Aquilonij diutius durent, extra quoque tempus annui incrementi, poterit vtcumque Nilus augeri; itaque & Tiberis, Auſtro diu perflante, poteſt ſolius maris influxu creſcere: ſed à pragreſſis imbribus diuturnis, & copioſis, & fluuios augeri in Tiberim delabentes, & ipſum Tiberim, negari non debet. itaque de inundatione recte Seneca, Non pluuia iſtud fiet, ſed pluuia quoque; Non incurſu maris, maris quoque incurſu, Non terræ motu, ſed terræ quoque motu. Ergo*

*con-*

*concurrentibus cauſſis vniuerſis, quæ ſeorſim ſingulæ ad huiuſmodi incrementa conducunt, inuſitata, & portentoſa facta eſt poſtrema hæc inundatio: cuiuſmodi ſemper timenda eſt in tanto imbrium prouentu, quantus fuit anno proximo M. D. CXVIII. maxime vero ſex illis diebus, qui Natalem Domini præceſſerunt, tunc enim vere dici potuiſſet* θυρῶν ἄνοιξις. *hæc enim pręcipua exiſtimanda eſt inundationis cauſſa, ſiquidem Noeticum quoque diluuium imbribus diuturnis, & continuatis diuinæ litteræ acceptum referunt. quod ſi quis tam inſolens incrementum vni lacui Velino, ob ſubitam aquarum copiam in Narem effuſam, & per Narem in Tiberim deuolutam, tribuendum exiſtimet, is dicat, vnde anno M. D. LVII. menſe Septembris facta ſit illa ſubita inundatio, hac non multo minor, cum eſſent Velini lacus oſtia vel pauciora, vel anguſtiora, vnde ſimiliter anno M. D. XXX. facta ſit illa, quam proxima modice ſuperauit. paucos ante annos Padus tanta vi inundauit, vt oppidum quoddam integrum obruerit, & diſſipauerit, anno M. D. LXVII. pridiè Calendas Nouembreis Atheſis Veronam aquis magno ciuium dãno repleuit, & nauigabilem fecit. Sed ab eiſdem cauſſis ſæpe non eadem ſolum flumina, ſed alia multa, vel omnia exundantia mortalibus perniciem attulerunt, in Italia Arnus, in Germania Danubius, Renus, Męnuſque: nec ab his incommodis fuit immunis Gallia, Hiſpania, & cæteræ orbis terrarum partes, quibus vt commoda, ita & incommoda, ſecreto Dei Opt. Max. iudicio, & prouidentia, per interualla communicantur: & alias ſiccitas nimia, alias nimius humor*

*mor mortalibus exitium affert, & alias per breuia, alias per longiora interualla, ad eadē loca eadem incōmoda reuertuntur: atque ideo Tiberis alias plurium, alias pauciorum interuallo annorū inundauit: & proditum eſt, olim, quo anno M. Fuluius Nobilior, C. Manlius Volſo Coſſ. fuere, ante Natalē Domini fere CXC. duodecies eodem Tiberim Campum Martiū, & plana vrbis inundaſſe. Vtrū vero inundationes huiuſmodi ſiderum vis aliqua efficiat, de eo diſſerere à præſenti instituto alienum exiſtimo. Scio prædictum diu antea, exſpectari debuiſſe anno proximo pluuias multas, & inundationes, ex Solis & Lunæ (vt arbitror) defectibus, qui euenere nunc vtroque ſidere, nunc altero in Piſcibus poſito, & per idem tempus nunc Piſcibus, nunc Suculis (vt Sole quoque ad Arietem accedente) ad Horoſcopum (vt vocant) poſitis; quæ ſunt ex Sideralis ſcientiæ placitis probabilia. Sed memini, ab auctoribus fuiſſe obſeruatos anno huius ſæculi vigeſimo quarto, vno menſe Februario viginti ſiderum errantium congreſſus; quos inter fuit inſignis ille quoque Saturni, & Iouis; quorum ſexdecim in eodem ſigno piſcium facti ſunt: quamobrem magno clamore quidam vaticinati ſunt inſolentem quandam orbi vniuerſo rerum permutationem, maxime vero ex aquarum abundantia, & tempeſtatibus: cum tamen nihil tam inſolens, quam ipſum vaticinium, acciderit. immo proditum eſt, eodem anno Villacum Carinthiæ ciuitatem incendio conſumptum, & Labacum Carniolenſium metropolim, cum nihil minus, quam incendia dicti ſiderum congreſſus portendiſſent. eſtque obſeruatum, aliquando ſine vllo ſiderum in ſignis humidis congreſſu, eodem*

*menſe*

*menſe pluiſſe copioſiſſime, vt Romę accidit anno huius ſæculi octogeſimo primo, cum audiuimus etiam Venetijs dies viginti totos, die, nocteque ſine intermiſſione pluiſſe, & anno proximo, qui fuit huius ſæculi nonageſimus octauus, cum nulla fuiſſet eodem menſe ſiderum in ſigno piſcium coniunctio, magnus tamen fuit imbrium prouentus in vrbe: quamobrem (ſpirantibus quoque auſtris vehementius) Tiberis exundauit pridie Calend. & ipſis Calend. Martijs, magno timore ne vrbs tota aquis impleretur: cuiuſmodi aquarum exſuperantiã Venetijs quoque fuiſſe, à certis nũtijs allatum eſt. & contra, cum multis eiuſmodi congreſſibus ſiccam habuimus conſtitutionem anno octogeſimo ſecundo, & nonageſimo quinto. Sed hæc alterius loci ſunt, & hoc cauſſæ remotioris genus in incerto eſt. Illud conſtat, pluuiarum vi flumina magnopere augeri, & exundare, & ante proximam inundationem pluiſſe tum in Vrbe, tum extra Vrbem copioſiſſime, & Autumnum totum humidiſſimum exſtitiſſe magna etiam vini, & olei iactura; & ipſo inundationis tempore mare quoque (quæ altera eſt inundationum cauſſa) auſtris vehementer perflantibus, intumuiſſe, quamobrem multis adhuc nauibus annonam ad Vrbem vehentibus in oſtia Tiberina prohibetur ingreſſus. hæcque hactenus de Tiberis inundationum cauſſis. Quibus qua ratione occurri poſſit, ſtatuere, nec noſtri muneris eſt, nec ad peritiam noſtram, quantulacumque eſt, pertinet. huius rei periti viderint, an ſit alia ratio, præter indicatam à Corn. Tacito libro annalium primo, vbi ait, quo anno Coſſ. fuere Druſus Cæſar Tib. F. & C. Norbanus (quem volunt fuiſſe à*

*natali Domini XV.) continuis imbribus auctum Tiberim plana Vrbis ſtagnauiſſe, relabentem ſecutam eſſe ędificiórum, & hominum ſtragem: itaque Aſinium Gallum cenſuiſſe, vt libri Sibyllini adirentur, idque renuiſſe Tiberium, ſed remediũ coercendi fluminis Ateio Capitoni, & L. Aruntio mandaſſe: Hos vero egiſſe in Senatu, an, ad moderandas Tiberis exundationes, verterentur flumina, & lacus, per quos augeſcit: auditaſque municipiorum, & coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis ſolito alueo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipſis perniciem afferret. congruentia his Interamnates diſſeruiſſe, peſſum ituros fœcundiſsimos Italiæ campos, ſi amnis Nar (id enim parabatur) in riuos diductus ſuperſtagnauiſſet. nec Reatinos ſiluiſſe, Velinum lacum, qui in Narem effunditur, obſtrui recuſantes, quippe in adiacentia erupturum: optime rebus mortalium conſuluiſſe Naturam, quæ ſua ora fluminibus, ſuoſque curſus, vtque originem, ita fines dederit. Spectandas etiam religiones ſociorum, qui ſacra, & lucos, & aras patrijs amnibus dicauerint. quin ipſum Tiberim nolle prorſus accolis fluuijs orbatum minore gloria fluere. Demum, ſeu preces coloniarum, ſeu difficultatem operum, ſeu ſuperſtitionem valuiſſe, vt Senatus in ſententiam Piſonis concederet, qui nil mutandum cenſuerat. hæc ille, omiſſa fortaſſe potiore cauſſa, nauigationis commodo, quoniam alio tranſlatis Clani, & Nare, Tiberis vix potuiſſet nauigari; de qua re Auguſtinus Steuchus copioſè ad Paulum III. Pont. Max. ſcripſit. Ac reuera loco Vrbs eo poſita eſt, & ea fluuiorum eſt, qui Tiberim aquis ditant,*

*oppor-*

*opportunitas, & eæ cauſſę ſunt à Tacito memoratæ, vt Tiberis inundationes crebrę, aut rarę, paruæ, aut magnę tādem cohiberi minime poſſint. Siquis aquas exuberantes nouam ad mare viam docuerit, is rem oppido magnam, & ſæculorum memoria dignam prę ſtiterit; quamuis conſentaneum ſit, tum Rempublicam, tum Romanos principes, in ſumma poteſtate, & licentia, opibus non deficientibus, ei rei animum adhibuiſſe, deque Vrbe ab huiuſmodi periculis liberanda non ſemel cogitaſſe: ſed rationem id præſtandi non inuentam, cum aduerſus naturę impetum contendere opus ſit, qui conatus ſępe irritus eſt. perfoſſi ſunt montes, valles repletę, inſulę continenti adiectę, ſed neque Seſoſtris Ægyptius, quem Ariſtoteles, & Strabo nominant, ſiue Necus, quem Herodotus, nec Darius Perſa Nilum potuit in mare rubrum diducere (quam rem fructuoſiſſimam futuram intelligebant) quoniam maris æquor plana Ægypti ſuperabat. atque ideo, vel plana Vrbis deſerenda, & editior regio colenda, aut quæ nos paſſi ſumus, & maiores noſtri paſſi ſunt, ferendum, ac ſinendum vt poſteri quoque patiantur: atque interim quiſque rebus ſuis conſulat, atque proſpiciat. Sed hæc prorſus videntur ab inſtituto meo aliena. Illud ad rem facere magis videtur, vt ſcilicet intelligatur, cur Plinius Tiberim appellauerit vatem, ac monitorem, ſuoque auctu religioſum potius, quam ſæuum; nam hęc acute, & argute fortaſſe magis, quam vere dicta ſunt; nam ſæuitiem eius docere videntur ædificia diruta, hominum, & iumentorum ſtrages, rerum plurimarum iactura. eſſe vatem, & monitorem, hoc ideo dictum eſt, aut quia portendit*

*ea, quo-*

*ea, quorum eſt, aut ea, quorum ipſe cauſſa non eſt, illorum inſtar, quæ prodigij appellatione venire ſolent, cuiuſmodi ſunt, faces in cælo apparere, cælum ardere, crinita ſidera, monſtra, & ſimilia, quæ portenta, & oſtenta dicuntur, quaſi graue aliquid orbi terrarum minari, & oſtendere, non etiã facere, videantur. Viſi ſunt igitur olim Romani Tiberis auctus pro portento accepiſſe, cum pari diligentia rerum Romanarum ſcriptores huius fluuij incrementa, atque prodigia (quod genus modo dicebam) commemorauerint: libro decimo Decadis tertiæ Liuius, narratis multis prodigijs, inquit, inter quæ etiam aquarum inſolita magnitudo in religionem verſa: nam ita inundauit Tiberis, vt ludi Apollinares, circo inundato, extra portam collinam, ad ędem Veneris Erycinæ, parati ſint. Sed vt ex huiuſmodi portentis vani timores ſæpe, ita etiam ex Tiberis incrementis naſcuntur: quod illuſtribus exemplis oſtendi poteſt: etenim, quo anno (vt ante dixi) duodecies Tiberis inundauit, eodem L. Scipio de Antiocho, & Aſia Romano adiuncta imperio triumphauit, & Conſules rem pro dignitate Reipublicæ confecerunt, tam contra Gallos, qui erant in Aſia, quam contra Ætolos, tamque crebros illius anni Tiberis auctus nihil ſecutum eſt, quod portento reſponderit. Sed ne longius abeamus, anno huius ſæculi trigeſimo, pace paullo ante in Italia confecta, diademate imperij Carolo Quinto Cæſari Bononię à Clemente Septimo Pontifice Maximo impoſito, Cęſariſque eiuſdem, & Francorum regis animis conciliatis, in eiuſdem anni Autumno Tiberis inundauit, ciuium Romanorum, & incolarum damno grauiſſimo, & incomparabili. & non minore dam-*

*re damno, Pontificè Paulo Quarto, rebus compoſitis, principum animis conciliatis, pace confecta; hoſque auctus genus aliud calamitatis nullum ſecutum eſt. His autem non diſſimilia modo euenerunt; nam Ferraria, & quidem ſine ſanguine recepta, pace inter maximos reges conciliata, rebus in Pannonia proſpere geſtis, iucundo Pontificis aſpectu vrbi reſtituto, Tiberis inundauit. Qua ergo ſignificatione? cum ſæpe caruerit ſignificatis, ſi quid graue nonnunquam ſecutum eſt, illud caſu occurriſſe, non quod ab inundatione ſignificari potuerit, exiſtimandum eſt, & hoc fortaſſe Plinius ſignificauit, cuius illa ſunt coniungenda, vates, ac monitor religioſus verius, quam ſæuus, vates religioſus, quia timorem incutit, non tamen ſæuus, quia ſæpius nulla calamitas alia ſequi ſolet, atque ideo non videtur ea, quorũ auctor non eſt, ſignificare. oſtendet igitur ea, quorum eſt auctor. Sed explicandus eſt modus. Si agros deuaſtat, ſi ſata depopulatur, annonæ caritatem oſtendit, & facit, quod huc non pertinet, atque omnibus notum eſt. Et hæc quoque docent, quam vana ſint, quæ à nonnullis tradita ſunt, à maris, & fluuiorum inundationibus, populorum, & gentium hoſtilium aduentum prænunciari. Morbos tandem hæc innundatio minari creditur, quorum auctor (vt videtur) poteſt eſſe. hoc vero aut ideo fit, quia aerem vitiat, & corrumpit, qui inſpiratus homines ſimili afficiat corruptela, quamobrem in aliquam popularem incurrant ægritudinem; quod fieri quidem poſſet, ſi diu terram aquæ iam effuſæ madefacerent: nam hic locum illud haberet, quod Antipatro Stoico tribuitur, terræ ſcilicet humidę exhalationem, meando in*

*ſuperna volubili impetu, atque inde ſeſe, poſtquam calefacta eſt, inſtar ſerpentis mortiferi, in inferiora reuoluendo, vi putredinis omnia corrumpere, quæ putredo non niſi ex humore, & calore generatur: & hic eſt Pytho ſerpens ille, quem poetę ab Apolline iaculis interemptum dixere, quia diuino Solis radiorum feruore, velut ſagittis incidentibus, putredo extenuata, exſiccata, & enecta tandem aboletur. hoc; inquã, fieri poſſet, ſed huic periculo inprimis optimi principis prouidentiã obuiã itum, cũ expurgatæ iam ſint viæ, plateę, cõpita, & ipſa iã ædificia diligentiſſime expurgentur, vt ſolita Vrbi facies reſtituta fere ſit. Deinde euentis docti ſumus, inundationes ad aerem inficiendum, quamobrem morbi populares fiant, & peſtilentia, vix aliquid conferre. Grauis eſt de cauſsis morborum popularium diſputatio; de quibus loco magis neceſſario diligentius diſſeritur; ſed recta diſſerendi ratio poſtulat, vt non prius cauſſa quæratur, quam de re certiores facti ſimus. inundauit Tiberis omnibus ſæculis ſæpius, ita vt Vrbem pene totam aquis repleuerit. accidit hoc ſub finem proximi ſæculi, cum Alexander Sextus Petri nauiculam regeret; accidit trigeſimo præſentis ſæculi Clemente Septimo, & anno quinquageſimo ſeptimo, ſedente Paulo Quarto, interim eas inundationes nihil vnquã graue ſecutum animaduertimus, aut audiuimus; nulla, inquam, Romæ peſtis, nullum genus pernicioſæ ægritudinis ortum eſt. Atque vix ſemel proditum obſeruare potui, Tiberis inundationem ſtatim peſtem excepiſſe, eam ſcilicet, quæ Sancti Gregorij tempeſtate facta eſt, paullo ante quam in Pontificem eligereretur, de qua hæc à Paulo Diacono ſcripta*

*ſunt,*

*ſunt. Subſecuta eſt ſtatim hanc inundationem grauiſſima peſtilentia, quam inguinariam appellant. Hæc Paulus. Verum illa tempeſtate non ſolum Tiberis inundauit, ſed totius pene Italiæ amnes, tuncque & Atheſis inundatio facta eſt miraculo memorabilis, de quo idem Sanctus Gregorius libro Dialogorum tertio cap. 19. quamobrem intelligere eſt, anni illius conſtitutionem exſtitiſſe humidiſſimam: atque adeo par eſt exiſtimare, peſtilentiam non à Tiberis alluuione, ſed ab anni conſtitutione inſalubri exortam; niſi quoque credamus, è putrefactis ſerpentibus originem duxiſſe; cum proditum ſit, per Tiberim ſerpentum immanem copiam in mare delatam, & vna Draconem magnæ, & admirabilis magnitudinis, quibus in littus reiectis, & putrefactis, tantus fætor exortus ſit, vt aerem infecerit, ac peſtem pepererit. Non me latet, nonnullos iactare, peſtilentiam ſæpe auctus Tiberinos ſecutam eſſe; & idcirco inter peſtis futuræ indicia fluuij huius inundationes referendas; ſed hos in temporum digeſtione aberrare, & decipi, facile diligens hiſtoriarum lector, intelliget.*

*Hæc igitur docent, huiuſmodi alluuiones ad peſtem inducendam nihil, vel certe vix aliquid conferre. quod eo quoque poteſt perſuaderi: nam Tiberis annis fere ſingulis loca vrbis humidiora aquis replet; ſic enim eodem proximo anno pridie Calendas, & ipſis Calendis Martijs, iuxta Caietanorum ædes, ad S. Luciæ, ad S. Hieronymi Illyricorum, ad S. Iacobi Incurabilium (vt vocatur) exundauit. & ſeptimo Idus huius menſis Ianuarij, paucis ante quam hæc ſcriberem diebus; quamobrem, & vulgatus timor eſt,*

*futuram alteram priori æqualem exundationem. hunc igitur in modum annis fere ſingulis creſcit, & aquis replet domos, quæ multæ in eius ripa ſitę ſunt: tamen, qui domos eas incolunt ciues, & aduenæ magno numero, nunquam auditum eſt, illos peculiari aliquo morbi genere laborare: quamobrem efficitur, ſi, quæ regio tam ſæpe ab aquis, & ſordibus Tiberinis infeſtatur, nulli eſt ob eam cauſſam obnoxia ægritudini, minus timendum eſſe reliquis vrbis partibus, quæ vt longius ab amne diſtant, ita ab incommodis, & periculis, quæ ipſe afferre ſolet, longius abſunt. Nec obijciat mihi diligentior aliquis alluuionem, (cum præſenti tamen non comparandam) quæ facta eſt anno huius ſæculi octogeſimo nono, Calendas Nouembris, & rurſus quinto Idus eiuſdem menſis, quam ſecuta eſt anno ſequenti æſtas morbida, & pernicioſa, qua ipſe quoque ſummus Pontifex Sixtus interijt. Nec ſimiliter illam obijciat, quæ facta eſt circiter vndecimum Calend. Nouembris anni eiuſdem ſequentis (qui fuit noſtri ſæculi nonageſimus) quam altero anno, ideſt nonageſimo primo, ſecutum eſt Ver inſaluberrimum. Non ſunt hæ, inquam, inundationes obijciendæ; quoniam, etſi ſecuti ſunt eas morbi populares, & pernicioſi, tamen illos non ab inundationibus, ſed ab humidiſſima eorundem annorum octogeſimi noni, & nonageſimi conſtitutione profectos, exiſtimare, conſentaneum eſt: nam qui domos habitant in ripa fluminis poſitas, ij non magis, quam cæteri laborarunt. immo ipſo anno nonageſimo peſſime cum illis actum eſt, qui collem Quirinalem incolebant, e quibus fuit ipſe Pontifex Sixtus: cum is locus à Tiberi plurimum*

*rimum diſtet. His ergo commonefacti arbitramur inundationem minus obeſſe poſſe, quam vulgo perſuaſum ſit. Quod ſi tandem æſtate ventura, aut alia huius anni parte vulgaris aliquis naſcetur morbus, & pernicioſus, qui ſit nimij humoris, & putredinis ſoboles, is non proximæ alluuioni, ſed humido cæli ſtatui tum præterito, tum præſenti, acceptus erit referendus: quando & ipſa inundatio à pluuiarum multitudine, vt ante dixi, profecta eſt. Non ſunt igitur timendi ab aeris vitio morbi, quod vitium ab inundatione per ſe naſci poſſit. Aut futuri morbi ſunt, quia partes ædium infernæ adhuc madent, nec breui poterunt exſiccari. quamobrem, qui illic habitant, ſenſim eo humore infarciri facile poſſunt, & idcirco morbis, quos humor facere ſolet, obnoxij euadent, ac tandem capientur: imminent vero præſertim ex febribus cum diuturnæ, quas vulgo tertianas duplices appellant, tum acutæ cum exanthematibus vocatis, phrenitides, lethargi, comitiales morbi, anginæ, putredines, apoplexiæ, pueris variolæ: naſcenturque hi morbi maxime ijs, qui natura ſunt humidiore. fient autem cum accedens calor humorem ad putreſcendum concitabit, cui calori facile concedet natiuus corporum calor in humore fractus, & ſemiextinctus (nam calorem ſicco acui, & humido obtundi ſatis eſt notum, & receptum) itaque mala hæc æſtate magis, quam vere exſpectanda ſunt: niſi ver forte fortuna ab auſtrinis flatibus ſine pluuia calidius iuſto acceſſerit (auſtros etenim ſiccos inſalubriores eſſe pluuijs, veteres obſeruarunt, vt auctor eſt Ariſtoteles in Problemat.) quamquam & Ver ipſum inſalubre poteſt*

*eſſe cum flatibus aquilonijs, qui intemperantius ſpirent: Sic enim graues deſtillationes fieri poſſunt, & tuſſes, & raucedines, & laterum dolores, & pleuritides. Quibus malis obuiam eundum eſt ante, quam fiant, humidis ipſis ædium partibus deſertis, donec vel temporis beneficio, vel multo, diuturnoque igne omnis de parietibus, & pauimentis humor tollatur. qui ignis non in vijs, compitis, & plateis accendendus eſt: tamquam ad aeris vitium emendandum, quod iam nullum eſt, vt ante dixi; atque ſi adeſſet, non eſset in hoc præſidij genere tanta ponenda ſpes, quanta vulgo iactatur. primum quia non adeo conſtat, vt aliquibus perſuaſum eſt, peſtilentiam igne ſublatam eſſe ab Hippocrate; licet enim hoc ei tribuerit Galenus libro de theriaca cap. 16. ad Piſonem, & Plinius indicauerit libri trigeſimi ſexti capite vigeſimo ſeptimo; quorum teſtimonio iure vetuſtatis non acquieſcere, nefas videtur; tamen, cur dubitemus, auctor eſt Hippocratis filius Theſſalus in ea oratione, quam habuit ad Athenienſes pro patriæ ſalute: in qua oratione de peſtis quidem origine idem legitur, quod apud Plinium libri ſecundi capite trigeſimo ſeptimo, ex Illyrijs ſcilicet profectam (vt mirum ſit, Galenum dixiſſe, ex Æthiopia, confundentem, quæ altero anno belli Peloponneſiaci Athenis acciderunt, cum ijs, quæ alio quodam tempore eueniſſe, Theſſalus idem indicauit, & alio loco examinabamus) legitur quoque in eadem oratione, vt apud Plinium, miſſos ab Hippocrate diſcipulos per Vrbes Græcorum ad auxiliandum; quos inter ſeipſe Theſſalus nominat, & Draconem fratrem, & Polybum Sororium; ſed neque quo auxilij ge-*

*nere*

*nere, nec vno, an multis, prouiſum ſit, perſpicue oſtendit; immo quod multis, & varijs vſus ſit, illa verba non adeo obſcure indicant; nempe, Non enim omnes loci eadem auxilia ferunt; Ignis autem nullam fecit mentionem, non ſecus, quam Hippocrates libro de natura humana, vbi, cum rationem doceat curandi morbos vulgareis, quos aeris exhalatio parit morboſa, de igne ne verbum quidem. Sed neque alijs deinceps temporibus peſtilentiam igne abolitam nouimus, etſi remedium ſit valde obuium, & expoſitum: quod ſi bello Peloponneſiaco Athenieſes ignorarunt, cum id Hippocrates nondum fortaße docuiſſet, cur ſecutis temporibus, vulgata Hippocratis fama, non eſt tam promptum auxilium receptum? Atque, ſi vno ignis auxilio Hippocrates vſus eſt, cur dimiſit diſcipulos ad auxiliandum diuerſis locis, cum hoc per litteras admonere commodiſſime potuiſſet? Demum, quis doceat, quanto igne opus ſit, quot diebus, & quam late accendendus, ſi quis eßet peſtifer vapor, qui non vni haret loco, nec anguſtis coercetur limitibus, ſed libere per aerem meat, ireque, & redire poteſt, vt traditum eſt de peſte dicta, quæ Athenis orta dicti belli anno altero, iterum inuaſit quinto, nec ceßauit penitus niſi decimoſeptimo, ſi credimus Thucididi, qui & vidit eam, & paſſus eſt. Non ſunt igitur in locis publicis ignes accendendi, quoniam vapor nullus eſt morbidus ab alluuione profectus. Sed in ſingulis ædibus, & ſingulis ædium partibus, quas Tiberis repleuit: quod in tam ampla Vrbe, in tot ampliſſimis ædificijs, in tanto domorum numero fieri poſſe, non exiſtimo; ſed temporis auxilium neceſſario exſpectandum, vt alias factum eſt,*

*& ſu-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& ſublimiores interim ædium partes habitandæ, & editiora vrbis loca: quod nemini poteſt ignotum eſſe: hoc enim reliquum eſt vnum præſidium aduerſus incommoda, quæ poteſt humidarum ædium habitatio afferre. aliàs humida cæli conſtitutio, vt ante iudicaui, citra quoque inundationem, illos etiam offendet, niſi cauerint, qui domos habitant ſaluberrimas, non in Vrbe tantum, ſed vbicumque conſtitutio huiuſmodi fuerit, quam, certiores facti ſumus, fuiſſe vniuerſalem. cauendi autem ratio ſatis eſt explicata in libris de ſanitate tuenda.

Hæc habui, Sanctiſſime Pater, quæ de Tiberis inundatione ſub tui nominis inſcriptione exararem: quibus, ſi nihil aliud, hoc ſaltem fauſtum, felix, fortunatumque euenit, vt hiſce diebus, tuæ inaugurationis commemoratione anniuerſaria lætiſſimis, abſoluerentur.

FINIS.

# ROMANA EPIDEMIA.

*DESCRIPTIO SCILICET, ET EXAMEN vulgaris ægritudinis, quæ in Vrbe anno 1591. & alterius, quæ anno 1593. orta eſt.*

## AD STVDIOSVM LECTOREM MARSILIVS CAGNATVS S.

*VT ad rempublicam bene gerendam Hiſtoria conducit plurimum; quæ idcirco ſapienter magiſtra vitæ dicta eſt; ſic quoque ad valetudinem curandam vtiliſſima eſt. Quod Hippocratis exemplo ſatis docemur, à quo, non temere hiſtorias Epidemicas deſcriptas, exiſtimare, conſentaneum eſt. itaque non omnino damnandi veteres medici, qui ſe Empirico appellarunt, cum hiſtoriæ in ægris curandis multum tribuerint. damnandi ſolum, quod rationem deſpexerint, aut non pro dignitate æſtimauerint. Nouere hiſtoriæ vtilitatem iam noſtri ſæculi auctores multi: quorum ſtudium mea ego quidem cauſſa primum imitatus, in ægritudinibus; quæ mihi, iam annos duos vltra triginta medicinam facienti, ſeſe obtulerunt; deſcribendis, & examinandis, non parum laboris ac temporis conſumpſi. Sed deinde*

*viſum eſt, ſi eius ſtudij ſpecimen & laboris aliquod in lucem ederem, hoc poſſe medendi ſcientiæ ſtudioſis commodum aliquod afferre. eoque conſilio vnius, vel alterius popularis ægritudinis examen præbeo. polliceorque, ſi certior factus ero, te commodum aliquod ex meo labore percepiſſe, in eodem argumento, ſi otium, & vita ſuppetet, me libentius, & fortaſſe ſtudioſius elaboraturum. hæc autem adiunxi meo de Tiberis inundatione commentariolo, quandam ob argumenti ſimilitudinem, quam facile, diligens Lector, animaduertes.*

## MORBI, QVI IN VRBE ROMA HOC *anno 1591. graſſatur, breuis enarratio. Cap. I.*

*CIRCITER idus Ianuarias huius anni 1591. cœperunt Romæ apparere febres acutæ, & his præcipue notis inſignitæ, maculæ in cute rubentes, quas vulgatiſſimo vocabulo appellant, Petecchie: capitis dolor vehemens: oris ſiccitas, eaque maior, quam ſitis: auditus grauitas, cum aurium dolore potius, quam tumore: delirium, quale in phreniticis. Sed ipſo menſe Ianuario tā rarus hic morbus erat, vt non magnopere perturbaremur. Februario fuit paullo crebrior, nō tamē multi ægrotabant, paucique moriebantur. Martio vulgari magis cœpit morbus; & ad furorē nōnullos impulit, nonnullos ad atrā bilē, qui ſeſe, vel in puteos, vel è feneſtris præcipites dederūt, vel gladijs cōfoderunt. Aprili, & Maio longe plurimos & corripuit,*

*puit, & peremit, iſque viſus huius ægritudinis vigor, cæpit enim Iunio nonnihil decedere, ſed Iulio (dum hæc ſcribebam) magis: quamquam, eodem periculo ſemper, quicumque ęgrotarunt. Nullum ętatis, ſexuſque diſcrimen; viri tamen magis, quam mulieres, & iuuenes magis, quam ſenes, laborarunt, & occiderunt. lotium perturbatum, crebra plurimis mictio ſiue ſanandi, ſiue eſſent morituri. aluus pene omnibus fluida; & aliquibus inteſtinorum difficultas. Iunioribus ſanguis de naribus pleriſque ſalutaris paucis pernicioſus. ſudores non adeo frequentes, paucis quibuſdam regius morbus ante diem ſeptimum ſuperuenit. decedebat multis circiter diem decimum quartum; quem citra quoque alij moriebantur; non omnino paucis ad vigeſimum producebatur; raris quadrageſimum attigit diem. Recidiuæ quoque nonnullis factæ ſunt, quarum aliæ breui ſolutæ, aliæ interfecere. Ex his demum, qui ſanati ſunt; multis character veluti quidam morbi relictus eſt, auditus grauitas, vel viſus hebetudo, vel capillorum defluuium. Cum hæc autem ſic acciderint, quæſitum eſt primum, vtrum hoc morbi genus tam vulgare, ac pernicioſum, aliquid noui, & inſolentis contineat. Deinde, vnde originem traxerit. Tum, vtrum contagio communicetur. Præterea, vtrum timendum ſit, ne ad æſtatem, & vltra producatur, & grauius afficiat. Poſtremo, quæ auxilia, quæue remedia ſalutaria reperta ſint. de quibus ſigillatim differendum eſt.*

## IN HOC MORBI GENERE NIHIL NOVI obſeruatum eſſe. Cap. II.

*De primo igitur, ſi nouum aliquis hoc morbi genus exiſtimaret, is deberet docere, cuiuſmodi agnoſcat nouitatem: vel enim eſt noua quædam morbi ſpecies, & forma, vel, ſi non eſt noua ſpecies, debet aliquid noui ineſſe in ijs rebus, quæ morbum ſecutæ ſunt, vel in origine, & cauſſis, à quibus exortum putant. Sed quia de origine dicendum eſt ſeorſim, vt propoſui, nunc de forme, & caſuum, qui hunc morbum ſecuti ſunt, nouitate diſputabitur.*

*Formam igitur, ſiue ſpeciem huius morbi nouam non eſſe, non difficulter oſtendi poteſt: nam febrem fuiſſe acutam, aſſumimus, continuam ſcilicet, vehementem, & lethalem: at febrium genus hoc minime nouum eſt: quod antiquorum ſunt de huius natura, & medendi ratione, referta volumina: & nemo tam rudis medicus eſt, qui non ſæpe viderit. Nec nouum eſt, furore, & atrabile ægros concitari: quando, Verno tempore hoc euenire, ab Hippocrate traditum eſt: quod ſi obijceretur, nouum eſſe, febres acutas Vere fieri: quas Hippocrates non inter vernas ægritudines, ſed inter æſtiuas memorauit; facile occurri poſſet: quoniam naturæ Verni temporis conſentaneum quidem eſt, hoc febrium genus minime naſci: quod Hippocrates voluit docere in morborum per tempora diſtributione, aphoriſmorum libro explicatas: ſed præter naturam eiuſdem temporis fie-*

*riſ fieri ipſe non negaſſet, qui libri primi Epidem. ſectione altera, in deſcriptione tertiæ temporum conſtitutionis, inquit, Ante ver cœperunt febres ardentes, & uſque ad æquinoctium, & æſtatem durabant. (nouit igitur Hippocrates, vere quoque fieri febres ardentes, acutas ſcilicet.) hoc vero par eſt accipere, præter veris naturam eueniſſe: quoniam eadem ſectione aphoriſmorum aph. 3. docuerat, cum ætates, tum morbos alios ad alia tempora bene, vel male ſe habere. & rurſus aphoriſ. 19. admonuerat, morbos omneis omnibus quidem temporibus fieri, ſed quoſdam in quibuſdam magis. dixerat quoque in ſecunda ſectione aphoriſ. 34. in morbis minus illos periclitari, quorum naturæ proprius, ſiue familiaris exiſtit, & ætati, & habitui, & tempori, quam quorum nulli horum conuenit. His autem intelligimus, alios alij tempori morbos natura, alios præter naturam congruere. docuerat vero, & illud ſecundæ ſectionis aphoriſ. 9. Autumno fieri morbos acutiſſimos, maximeque lethales, Ver autem ſaluberrimum eſſe. quo indicauit documento, Veris naturæ febres acutas non congruere. itaque nec in morborum, qui verno tempori conueniant, enumeratione, ſecunda ſectione aphoriſm. 20. acutas febres recenſuit. ſi itaque fiunt aliquando vere acutæ febres (quod nouum non eſt) præter naturam huius temporis fieri, dicendum eſt. Angina eſt quidem acutiſſimus morbus, & vere fieri dicitur (ſi quis de hac re dubitet) ſed ab acuta febre diuerſa eſt. Furor quoque, qui pariter vere fieri maxime ſolet, etſi nonnunquam acutus apparet, alius tamen eſt, quam febris ardens, & acuta. Quamuis igitur hoc febris genus*

*extra*

*extra tempus acceſſerit, non tamen debuit nouum videri: quando præter naturam aliquid fieri, nouum non eſt: & vere febres acutas exortas eſſe, multoties obſeruatum eſt.*

*Non fuit inſuper nouus hic morbus, quia multos peremerit: nec quia fuerit publicus, & popularis, &, vt Græci dicunt* ἐπιδήμιος: *quoniam omne morbi acuti genus pernicioſum eſt, & lethale. Febreſque ardentes nonnumquam publice graſſari lib. 2. Epidem. ſect. 3. Hippocrates docuit, inquiens, æſtate febres ardentes multæ populariter graſſatæ ſunt:* τοῦ θέρεος καῦσοι ἐπεδήμησαν πολλοί. *atque interim ſtudioſus Lector meminerit, nomen Epidemia apud Galenum omne publici, ac popularis morbi genus promiſcue ſignificare: non autem ſolam Peſtem appellatam. atque ideo mirari neminem debere huius noſtri libelli inſcriptionem: quoniam morbus hic vere ex Galeni ſententia fuit* ἐπιδήμιος, & ἐπιδημία. *Non fuit igitur noua ægritudinis forma: Sed nec caſus nouos, ſeu noua ſymptomata (vt vulgatiore, licet peregrino, vtar vocabulo) veterem morbi formam comitata eſſe dixerimus. Nam capitis dolor, vigiliæ, auditus grauitas, ſitis, oris ſiccitas, delirium, fluor ventris, lotij copia, & perturbatio, ſanguinis profluuia, hæc, inquam, noua non ſunt: etenim quotidie paſſim cernuntur, nec aliud auctores loquuntur. Nec, demum, maculæ rubentes in cute nouæ ſunt exiſtimandæ: cum antea hoc ſæculo ſæpiſſime apparuerint, nec illarum apud Hippocratem mentio infrequens exiſtat libris Epidemiorum, quæ* ἐξανθήματα *ab eo dici, non eſt neceſſe pluribus explicare.*

*Singula igitur cogitantibus debet perſuaſum eſſe, mor-*

bum

*bum hunc prioribus ſæculis cognitum fuiſſe, & omni carere nouitate. Quod ſi rem in vniuerſum quoque capere velimus, ſimilem huius morbi conſtitutioni ſpeciem quandam Hippocrates exhibuit libro primo Epidemiorum; quæ ſcilicet, in ſecunda ſectione, tertia inſcribitur; vbi hæc habentur, Ante ver autem cæperunt febres ardentes, & vſque ad æquinoctium, & ad æſtatem durabant. & paullo poſt, Erant autem febrium ardentium affectiones. Quibus quidem bene ac large ſanguis per nares erupit, per hoc maxime ſeruabantur: & nullum noui, qui in hac conſtitutione mortuus eſſet, ſi recte ipſi ſanguis profluxiſſet. & paullo inferius, Quibuſdam morbus regius accidit ſexta die. Verum his purgatio per veſicam, aut aluus exturbata profuit, aut larga ſanguinis eruptio. velut Heraclides, qui decumbebat apud Ariſtocydem: nam huic & ex naribus ſanguis erupit, & aluus turbata eſt, & per veſicam purgatus eſt. hæc autem, de illo Heraclide dicta, Oliuerio cuidam nobili Gallo ad vnguem eueniſſe, ipſe teſtari poteſt, qui viuit, & bene valet, poſſunt & multi, & præ cæteris Petrus Syluanus medicinę, & bonarum litterarum ſcientia non vulgariter inſtructus, quem habui in eiuſdem Oliuerij curatione ſocium. addit Hippocrates paullo poſt, Sanguis autem plurimis erupit, maxime adoleſcentibus, & in vigore conſtitutis. & talium plerique perierunt, quibus ſanguis non erupit. Senioribus vero ad morbum regium res deuenit: aut alui ipſis turbatæ ſunt, aut dyſenterici facti ſunt, veluti apud Hippocratem Bioni apud Silenum decumbenti contigit; poſſum hic ego dicere, veluti Lucæ Merentio contigit, quem vna cum*

*Petro eodem curabam, qui poſt ſanguinis è naribus eruptionem, poſt alui turbationem, & mictionem copioſam, dyſentericus factus eſt, & demum ſanitatem recuperauit. Sed & illa, quæ Hippocrates paullo inferius adiecit, huic conſtitutioni acciderunt, Mulieres porro multæ quidẽ ægrotarunt, pauciores autem, quam viri: & pauciores etiam mortuæ ſunt. item & illa. at vero circa æquinoctium, & vſque ad pleiada, & ſub hyemem comitabantur febres ardentes. Sed & phrenetici plurimi tunc fiebant. & plerique horum moriebantur. fiebant autem & per æſtatem pauci. conueniunt & alia quædam, ſed hæc maxime, At in hac conſtitutione ex quatuor ſignis maxime ſeruabantur. Quibus videlicet ſanguis è naribus probe erupiſſet: aut vrinæ multæ, & multam ſubſidentiam habentes per veſicam prodijſſent: aut per ventrem turbata, bilioſa tempeſtiue proceſſiſſent: aut qui dyſenterici facti eſſent. Acciditque multis, vt non vno ex præſcriptorum ſignorum iudicarentur, ſed per omnia percurrerent: & grauius quidem habere videbantur, conſeruabantur autem omnes, quibus hæc accidiſſent.*

*Quæ demum de recidiuis ab Hippocrate dicta ſunt, noſtræ ſimiliter conſtitutioni conſentanea ſunt. etſi idem plane recidiuarum modus non fuerit: neque enim tantam recidiuarum varietatem, & frequentiam notatam noui, quantam Hippocrates deſcribit. Non me latet quoque, poſſe maiorem aliquam diſſimilitudinem inter hanc, & illam conſtitutionem reperiri: vti quoniam illam toto anno viguiſſe Hippocrates ſignificat, papularumque mentionem non facit,*

*quarum in conſtitutione ſuperiore meminerat, & tubercula ad aures multa fuiſſe indicat, quæ rara in hac noſtra viſa ſunt. papulæ vero vulgatiſſimæ fuerunt. & non multo ante æquinoctium, & ipſo vere, atque initio æſtatis viguit, iam vero deceſſit. Verum hæc diſſimilitudo non docet, in hac morbi ſpecie aliquid antiquis ignotum exſtitiſſe.*

*At obijciet ne aliquis vocatam à recentioribus malignitatem, quam Græci* κακοήθειαν *dicunt, quaſi ab Hippocratis ſæculo ignoratam? ſane diſputatio hæc pulcherrima eſt, ſed maius otium deſiderat, interim donemus, malignitatem hanc priſcis incognitam; illud conſtat, morbi huius propriam non fuiſſe, quoniam multis iam annis elapſis, tam vulgarium voces hominum, quam medicorum, aliud nihil reſonant, quam malignitatem; quamobrem neque hac de cauſſa nouus morbus dici debuit.*

*Reliquum eſſet, vt nouitatem mali huius ex remediorum nouitate docerent. Sed & hoc vanum eſſe, ex ijs intelligetur, quæ de remedijs, huic malo adhibitis, poſterius tractabuntur.*

---

## DE CAVSSIS EIVSDEM MORBI.
### Cap. III.

*NVNC ſequitur, vt de morbi eiuſdem origine diſſeramus, hoc vero eſt, cauſam effectricem illius indagare, exponereque in eum finem, vt intelligere valeamus, cur hoc anno morbus hic exortus ſit, & cur popularis, &* ἐπιδήμιος *fuerit. Ea vero ge-*

*ro genere duplex eſt, externa videlicet altera, & altera interna. Externa, quę veluti principium primum eſt, mouenſque immotum, quodque ad cauendum, ſi cognitum ſit, maxime conducit. Interna vero, quę mouens motum dici poteſt, & materię quoque vicem ſubire videtur. Agamus igitur de externa primum, quę natura, atque tempore alteram præcedit.*

*Quoniam autem communis morbus communem quoque debet cauſſam habere; communis autem fuit caritas annonę (quamobrem fame, & inedia, & ciborum prauitate multi perierunt) idcirco nonnulli ſibi perſuaſiſſent facile, huius mali cauſſam fuiſſe inediam, prauoſque cibos, panem præſertim inſuetum, & nobis ob admiſtas ſordes valde infeſtum: quo vtriuſque propoſiti cauſſam doceri videmur: nam hoc cibi genus; vt prauum, & inſuetum; morbum feciſſe, eundemque communem, & popularem; vt vulgo, & à maxima populi parte edebatur; credi potuit. Verum huius cauſſę nulla eſt ratio habenda: quoniam morbus hic non in eos tantum inuaſit, qui duriter victitarunt, & ſordidiſſimo illo pane veſci coacti ſunt: ſed eos quoque, qui laute, ac delicate, & in omnium rerum vbertate vixerunt, & pane ſiligineo ſemper alti ſunt, & apprehendit, & occidit.*

*Cauſſam igitur fuiſſe oportet, quę communis omnibus eſſe potuerit, & omnes cuiuſcumque ordinis, & ſexus afficere. Aeris igitur maleficio morbum exortum ſtatuendum eſt. Cum enim id, quod morbos facit, attingere neceſſario nos debeat; nihil eſt, quod omneis ęque tangat, atque aer; quod eſt notiſſimum. quod igitur publicus, & popularis hic*

*morbus*

*morbus exſtiterit, aeri acceptum refertur. Cur autem hoc anno præſertim, non autem ſuperioribus hoc euenerit, iam expediendum eſt.*

*Opinor autem, neminem negaturum, debuiſſe hoc anno aeris ſtatum, & morbiferum eſſe, & annorum, qui elapſi ſunt, conſtitutioni diſſimilem: & oportere inueſtigari, quid huic anno acciderit, quod annis ſuperioribus non euenerit.*

*Quoniam autem non eſt hoc locó ars vniuerſa tractanda, multa ſunt ex alijs ſumenda, quædam dumtaxat hoc loco ſunt peculiariter exponenda. Sumendum eſt autem ex Hippocrate 3. aphoriſ. 1. Mutationes temporum, videlicet ab Hyeme tranſitum ad Ver, à Vere ad Æſtatem, ab hac ad Autumnum, & hinc ad Hyemem morbos producere. item ſumendum ex eodem 3. aphoriſm. 1. In ſingulis temporibus magnas fieri mutationes frigoris, & caloris, humoris, & ariditatis. Vere ſcilicet nonnunquam frigidius, nonnunquam calidius cælum eſt, quam Veris natura poſtulat, æſtate item, & cæteris anni partibus. præterea, ex eodem ſimiliter 3. aphoriſm. 10. Morbos inconſtantes, ſeu incertos, & iudicatu difficiles in temporibus naſci incertis, & propriam ac ſuam temperationem non ſeruantibus, vt Galenus expoſuit 3. aphoriſm. 9. Demum ſumimus, Autumno morbos naſci maxima ex parte acutiſſimos, & lethales. de quibus ſententijs non eſt pluribus hoc loco diſſerendum.*

*Nunc vero explicandum eſt, eiuſmodi eueniſſe proximis temporibus mutationes, quæ morbos efficere potuerunt naturæ temporum minime congruentes, eoſdemque acutos, & exitioſos. Hoc autem nos exiſtimo poſſe percipere, ſi acceperimus.*

*mus. quo annus iam elapſus ab optima, ſaluberrimaque conſtitutione degenerauerit.*

*Annum ſalubrem Hippocrates libro de aere, aquis, & locis docet eſſe, cum fiunt ratione ſigna in aſtris orientibus, & occidentibus: & in Autumno aquæ fiunt, & Hyems eſt moderata, neque admodum clemens, neque excellens frigoribus: & in Vere, ac Æſtate tempeſtiue pluit. cuius ſententiæ aliæ partes dilucidæ videntur eſſe, illa vero obſcura; cũ primo dicitur, Si ratione fiant ſigna in aſtris orientibus, & occidentibus: quod obiter quidem, ſed opportune, à nobis explicabitur. Scire igitur oportet, aſtrorum appellatione, præſertim apud Hippocratem venire, Pleiades, Canem, Arcturum. itaque eodem libro Hippocrates dixit, Oportere aſtrorum exortus conſiderare, præcipue Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum: quapropter libris Epidemiorum hæc aſtra ad temporum deſignationem ſola commemorat, vt Ariſtoteles quoque, addito Orione, commemorauit libro Problematum ſect. 1. probl. 3. Cum igitur Canis exoritur, circiter duodecimum Calendas Augusti, & Arcturus, circiter tertium Id. Septembris, & Pleiades occidunt ad quartum Idus Nouembris (hæc autem dico ex veterum obſeruationibus, nam noſtro ſeculo dictorum ſiderum ortus in alios dies translati ſunt) ſolent imbres fieri cum hominibus, tum cæteris viuentibus ſalutares. & hæc ſunt ſigna, quę, ortu & occaſu dictorum ſiderum fieri debere, admonuit. Cumque ſæpius illorum mentionem faciat libro de aere, aquis, & locis, libriſque Epidemiorum, pluuias tum dumtaxat factas, aut non factas, notat. vt non alia ſigna exſpectanda exiſtimem,*

*mem, quam imbrium prouentum, cum illa vel oriuntur ſidera, vel occidunt: atque ideo Hippocratem his verbis: Si ratione fiant ſigna in aſtris occidentibus, & orientibus, ſubiungentē ſequentia, & in Autumno aquę fiant, & Hyems ſit moderata, & neque valde clemens, nec admodum excedens frigiditate: & in Vere, ac in Æſtate tempeſtiue pluat. His, inquam, epxlicare Hippocratem arbitror, quod breuiter indicauerat illis prioribus, ſi ratione fiant &c. propterea & Ariſtoteles annum ſalubrem deſcribens, pluuiarum dumtaxat rationem habuit, dicens, ſalubrem, vt hominibus, ita & piſcibus annum eſſe: ſi hyems clemens & ſerena fuerit, Vere autem, Æſtate, & Autumno pluat. Cuiuſmodi annum frugibus quoque propitium Poeta cecinit, inquiens, humida Solſtitia, atque hyemes optare ſerenas: ſignificauit enim Æſtate (quam Solſtitij nomine appellauit; nam Solſtitij nomine, æſtiuam conuerſionem intelligebant Latini; cum hibernam appellarent Brumam. indicauit autem Solſtitij appellatione ęſtatem, parte ſcilicet pro toto accepta) æſtate, inquam, ſignificauit, pluuias optabiles eſſe, hyeme autem ſerenitatem. Non me latet, hunc Hippocratis locum paullo ſecius à doctis quibuſdam inrepratibus acceptum, ſed in obſcuris ſententijs varietas interpretationum ad veritatem collineandam conducit plurimum.*

*Dixit autem Hippocrates, ſi Vere, ac Æſtate tempeſtiue pluat; quod accipiendum eſt. de pluuijs moderatis, quæque non aceruatim, ſed crebro, & modice fiunt, & terram irrigantes æſtum ipſum, qui Vere quoque & Autumno naſci ſolet (niſi pluat, vel Aquilo ſpiret) contemperent. Hę namque*

*quæ commodę ſunt, & ad valetudinem conſeruandam conducunt, præſertim vero, ſi aquiloniæ ſint; vt de Plantis quoque dixit Theophraſtus lib. 2. de cauſſ. plant. cap. 3. nam vt ventus ipſi boreus ſalubrior, ſic & imbres borei ſunt ſalubriores: etenim æſtui, cum viget, modum ſimul imponunt, & corpora corroborant, quæ auſtro diſſolui conſueuerunt, atque ideo Eteſiæ quoque ad anni ſalubritatem plurimum conducunt: aquilonij ſcilicet venti, qui ſingulis annis æſtate redeuntes circiter exortum canis, æſtatis ardorem frangunt, qui longe vehementior fit, ſi forte illi non accedant, aut parum, & non aſſidue ſpirent: itaque apud Hippocratem legitur lib. 1. Epid. ſect. 2. Æſtas non valde æſtuoſa fiebat, Eteſiæ aſſidue ſpirarunt. & lib. 3. Epid. ſect. 3. Æſtas ſerena, calida, æſtus magni, Eteſiæ parum diſperſum ſpirarunt. Scilicet illis non ſpirantibus æſtus maior fieri, quam ſpirantibus, ſolet.*

*Illud demum ad anni confert ſalubritatem; cum enim Hippocrates dixerit, hyemem debere eſſe, nec clementem, nimis, nec frigidam; hoc ex vulgari, veterique dicto addendum eſt, ante brumam frigoris magnam vim non expectandam; ſed poſtea, menſe Ianuario. Sole videlicet poſtremam Capricorni partem perambulante. Sicut etiam poſt Solſtitium longe maior æſtus, quam ante percipitur: propterea circum brumam ſæpe ob aeris clementiam arbores, & frutices non ſolum germina, ſed flores, & fructus nouos edunt; euidenti veris æmulatione; diesque illi ab antiquis Halcyonũ vocati ſunt; vidimusque nonnunquam tanto luxu arbores, & frutices germinare, vt roſarum menſe Maio prouentus*

*uentus maior exſpectari non deberet.*

*Cum igitur annus huiuſmodi fiet, morbi vel non erunt, vel pauci, vel denique temporibus congruentes, & familiares, & faciles iudicatu. vt è contrario, ſi diuerſa fuerit anni conſtitutio ab ea, quæ modo ex Hippocrate deſcripta eſt.*

*Anno igitur ſuperiore Æſtas fuit quidem varia, tamen circa ortum Canis magna imbrium vis orta eſt, & non multum Eteſiæ ſpirarunt. Autumnus calidior, & humidior fuit, immò humidiſſimus imbribus aſſiduis, & vberrimis, quibus & Tiberis inundauit menſe Octobris. Hiems vero frigidior initio, ac ſiccior fuit, quã debuerit, quamobrẽ circum occaſum Pleiadũ, flatu Aquilonio exiſtẽte, Deſtillationes multæ factæ ſunt, Grauedines, ac Tuſſis multa; inde vero ad Brumam frigus, cælo aquilonio plerumque, perſeuerauit, & tuſſes, ac dolores laterum oriebantur, etſi magnus adhuc ægrotantium numerus non eſſet; nec illa facta eſt ante brumam aëris clementia, quæ annis ſalubribus eſſe conſueuit, vt dictum eſt; Anni vero præſentis menſe priore tepidius iuſto cælum habuimus, neque non Vere accedente calidius, ac ſiccius, quam pro temporis natura: & flatus auſtrini frequentiores, & vehementiores ſpirarunt.*

*Hæc igitur perpendenti videbitur ex Hippocr. 3. aphor. 8. ſuam tempora temperiem non ſeruaſſe, frigus videlicet, & calorem fuiſſe intempeſtiuum, & ſiccitatem auſtrinam debitum naturæ modum ſuperaſſe: & idcirco morbos acutos, indicatuque difficiles exortos. Hippocrates vero 3. aphor. 7. morbos in ſiccitatibus acutos naſci docuit. qui grauiores quoque fiunt, ſi auſtri, præſertim ſicci, dominentur, vt Ariſtote-*

*les*

*les ſignificauit primi libri Probl. 23. Neque contrarietas hęc eſt, ſiccitates imbribus ſalubriores, & auſtros ſiccos humidis deteriores eſſe; quoniam alia eſt aeris ſiccitas, alia ventorum. aeris ſiccitas eſt humoris, atque adeo materia omnis abſentia, & priuatio. venti autem ſicci ſunt, quia ſicci halitus ſoboles exiſtunt, quem multum auſtri ſecum ducunt, qui minus ſunt perniciosi, ſi imbrium temperentur frigoribus.*

*Frigus igitur intempeſtiuum alijs deſtillationes induxit, alijs cohibuit, vel ex toto, vel ex parte. quibus cohibita, vel impedita deſtillatio eſt, tempore accedente humor cohibitus, & in capite præſertim incluſus cæpit, & calere, & fortaſſe putreſcere, vnde febres, & capitis dolores, & deliria, eodemque colliquato ventis fluores, mictiones crebræ, lotium turbidum, & reliqua ante dicta.*

*Sed dubitaret aliquis non inepte, quoniam hoc anno furores, & atræ biles ortæ ſunt, quæ Vere fieri ſolent propriam naturam ſeruante, quam (vt ante dictum eſt) hoc anno minime ſeruatam notauimus. Verum is oportet animaduertat, tempora poſſe quidem, ſed non in totum, à propria natura degenerare: itaque & alienos, & propriæ naturę congruenteis morbos poſſe producere. Vere, natura temperato & ſalubri, poſſunt caloris, & frigoris magnæ fieri mutationes, quamobrem euadat inſalubre: tamen veris naturam deponere minime poteſt, ob neceſſariam Solis conuerſionem, & reditum ad nos. propterea non eſt alienum Verno huius anni tempore cum alienos à verna conſtitutione, tum eidem congruentes morbos productos eſſe.*

*Non*

*Non eſt etiam alienum expendere, vtrum ad hoc morbi genus excitandum Tiberis inundatio contulerit, quæ annis duobus proximis contigit humilioribus vrbis locis, iuxta ipſum Tiberim. At euentus docuit, non dictas alluuiones, ſed humidiorem cæli ſtatum ea peperiſſe mala, quæ æſtate ſuperiore paſſa eſt ciuitas, quæque nunc patitur: quæ ſi ab inundatione originem ducerent, deberent ij potiſſime, & grauiſſime laborare, qui domos habitant ad Tiberim poſitas, cum tamen proxima æſtate grauius laborauerint, qui collem Quirinalem incolebant, vbi & ſummus Pontifex Sixtus interijt; nunc vero nullo regionum diſcrimine morbus in Vrbe tota graßetur. Vtrum vero ſublimior aliqua cauſa ad huius ægritudinis ortum conuenerit; & præſertim Lunæ defectus, quem vidimus anni proximi xvij. Cal. Auguſti, & Solis labor, qui pridie Cal. eiuſdem menſis euenit? Solem, & Lunam in hac rerum vniuerſitate, ortus, & interitus, & omnem aeris varietatem inducere, pro comperto habemus, & eſt ab Ariſtotele libro quarto cap. vltimo de ortu animalium diſerte explicatum: & eorundem ſiderum congreſſus, & oppoſitus; cum præſertim vel Luna lumine deſtituitur, vel Solis lumen terris aufert ſubiens Luna, peculiari quadam ratione aerem mouere, & afficere, conſentaneum eſt. Sed, cuiuſmodi ſint eiuſmodi mutationes, ſoli Aſtrologiæ profeſſores auſi ſunt (quam vere neſcio) interpretari, & docere. Hippocrates anni conſtitutiones ſic, obſeruabat, vt ſolius caloris, frigoris, humoris, & ſiccitatis rationem haberet, flatuſque vel aquilonios, vel auſtrinos memoraret: notaretque quos morbos ſingulæ temporum con-*

 *ſtitu-*

ſtitutiones, vel naturales, vel preter naturam producerent. cauſſas vero remotiores earum mutationum, & varietatum prætermiſit. Vergilias aliquando, Canem, & Arcturum nominat, ſed non tamquam cauſſas mutationum, ſed tamquam indices: quæ fuit quoque Petri Aponenſis opinio, viri ab Aſtrologia, quæ vocatur iudiciaria, minime abhorrentis: qui ad Problemata Ariſtotelis 1. ſect. probl. 3. ſcias, inquit, quod huiuſmodi ortus, & occaſus ſiderum non eſt cauſſa permutationis omnino aeris, per tempora, ſed potius ſignum. & hæc hactenus de cauſſis externis.

Cauſſam vero internam (in qua ſcilicet, tamquam in eſca, putredo prius concipitur, quæ deinde calorem aduentitium per corpus vniuerſum effundit) fuiſſe vitiatum ſanguinem, hæc perſuaſerunt, vernum tempus, quo ſanguis creſcit; iuuenta, quæ ſanguine abundat, & iuuenes præſertim laborabant: febrium continuatio, quæ (vt eſt communis opinio) docet humorem intra venas tum caleſcere, tum putreſcere; in venis autem ſanguinem eſſe, tam certum eſt, vt ridiculum, aut potius ineptum ſit de ea re dubitare: ad hæc, de naribus ſanguinem ſponte fluxiſſe multis, & eos hac ratione ſanitati reſtitutos, quod æque vitiati, & abundantis ſanguinis indicium eſt. Sed vitium eiuſdem rubræ quoque & purpureæ in cute maculæ perſpicue oſtenderunt.

DE

## DE SEDE AFFECTA EIVSDEM MALI. Cap. IIII.

*QVoniam vero ad integram cauſſarum, & originis internorum affectuum notitiam, videtur loci, ſiue ſedis patientis indagatio neceſſaria; non iniuria quærat aliquis, Caput ne fuerit in hoc affectu peculiariter conſiderandum. Sed grauior moueatur quæſtio, quam huic loco conueniat: etenim pertinet ad vniuerſam febrium naturam intelligendam. quod huius loci proprium eſt, illud dūtaxat breuiter explicabitur. Caput ergo in hoc genere ægritudinis affectū eſſe, nemo ſanus negabit; nam capitis ipſius docebat dolor, docebat delirium, grauitas auditus, & aurium dolor ipſarum, & lotij perturbatio: quæ omnia capitis patientis indicia ſunt manifeſta. Vtrum vero hæc origo malorum exſtiterit, an eorundem potius aſſecla, non eſt cognitu, vel iudicatu facile. quando, ſiquis hoc ſtatuat, is videbitur de tota febrium natura ſententiā ferre, & ſtatuere, ſedem aliquam eſſe, aut non eſſe, in quauis febre peculiarem, ſine qua conſiſtere febris non poſſit, nec ſanari, niſi prius loco illi conſultum fuerit. Quæ res eſt plena controuerſiæ, & maiore otio examinanda.*

## *VTRVM CONTAGIO MORBVS IDEM communicaretur. Cap. V.*

*HIS vero de cauſſa cum externa, tum interna hunc in modum diſputatis, conſequens eſt, vt de contagio aliquid dicatur. quæ tractatio eidem propinqua, & affinis eſt, quam de cauſſis diſputationem habuimus. Sed quia nimis aliena eſt ab inſtituto meo diſputatio communis de contagio, deque morbis contagioſis, illud quaſi compertum, ac confeſſum aſſumo. Contagium debere accipi pro mali communicatione, quacumque tandem ratione contingat. Nam duplicem communicanis modum Ariſtoteles agnouit lib. 7. Prob. 4. apud Gazam. & Probl. 7. apud veterem interpretem, quo vſus eſt Petrus Apponenſis. Aut enim communicatur fœdus, & corruptus, quem æger reddit, ſpiritus, qui, ab alio ſubinde reſpirando abſorptus in pulmones, primum illos, qua parte adhæſerit, contaminat, vnde coniunctæ partes breui, alia poſt alias, labem eandem concipiunt, non aliter, atque lignum ſulphure oblitum, vbi pars ignem conceperit, reliquum deinde totum ſuccenditur: quod in Tabe, & morbis peſtilentibus euenire Ariſtoteles tradidit. Aut communicatur vapor, vel humor, vel quicquid ſit, quod à fœda cute, ſordidaque ægrotantis emanat (cuiuſmodi eorum, qui ſcabie afficiuntur) & ad alterum tranſuehitur, cui adhærens, partem, quam*

tetige-

*tetigerit primo, ſtatim polluit, à qua deinde reliquæ inficiuntur, vt de ſpiritu dictum eſt. Hac autem ratione peſtis communicari non ſolet, ſed priore tantum, quod Ariſtoteles viſus eſt eodem loco docere, & multis poteſt euentibus probari: quoniam multi præſto ſolent ægris eſſe, vt cibos, & potus offerant, & reliqua neceſſaria ſuppeditent; qui tamen non inficiuntur, niſi fædum halitum ore, vel naribus traxerint: itaque vna cautione vtuntur, vt vel auerſi ægris miniſtrent, vel bonis odoribus ora, nareſque muniant, ne halitus hauriant peſtilenteis. Vtrum vero diuerſo ab his modo morbus aliquis communicari poſſit, non eſt à veteribus proditum medicinæ auctoribus. quod de fomite à recentioribus dicitur (fortaſſe Græcis ignotum; quoniam in eorum litteris nihil eiuſmodi comperimus; Iudæis autem notiſſimum, vt ex ijs dignoſcitur, quæ de lepra affectis multa in ſacris litteris leguntur Leuitici cap. 13. & 14.) hoc, inquam, alteri ex duobus modis, quos narraui, ſubijci debet: nam cum fomes tractatur; ſiue laneum aliquid ſit, ſiue aliud quodcumque; aut effunditur aliquid ex eo, quod inſtar halitus, ore, vel naribus hauritur; aut incluſæ ſordes partibus hominis, à quibus tangitur, adhærent. Tradunt præterea auctores, affectus quoque nonnullos ſola qualitate communicari, vt Torporem Torpedo piſcis per baculum, vel retia communicat piſcatoribus (de quo tamen licet dubitare: quid enim prohibet à piſce auram tenuiſſimam: vel vaporem exire, qui per baculum, aut retia in manus piſcatorum latenter inuadat? Sed miſſa hæc faciamus) At febres, aut alios, præter torporem affectus, hoc modo communicari*

*conſue-*

*conſueuiſſe vnquam, vel poſſe, nec veterum conſtat monumentis, nec poſteriorum obſeruationibus repertum eſt. Cum ergo quæritur, morbus hic ſit necne contagioſus; vulgatum equidem noui, & pleroſque audiui affirmantes, contagioſum eſſe: eo (vt opinor) adductos, quod momento plures eo capiuntur, quodque ex ijs, qui cum ægris verſati ſunt, multi ſimiliter hactenus ægrotarunt, nec pauci obierunt: quamobrem inſignis quoque medicorum numerus ſublatus eſt. cui accedit, has febres vulgo à medicis vocatas eſſe peſtilentes: quod genus docent, ab inſigni, & excellenti quodam putredinis gradu proficiſci: cuius argumentum arbitrantur macularum genus purpurearum, quod ipſam quoque peſtilentiam ſequi ſolet. Peſtis vero maxime contagioſa (altero videlicet modo) ab antiquis habita eſt, vt Ariſtoteles teſtatus eſt libri primi problemate ſeptimo, inquiens, cur ſola peſtis morborum maxime eos afficiat, qui ad eos, qui curantur accedunt. hæc docere videbantur morbum contagione communicari. Ea tamen tanti non ſunt, vt doceant, & nos cogant hoc fateri: etenim ægrorum corpora non ſunt ſordibus infecta, vt ſcabie, lepraque laborantium: nec fœdum halitum exſpirant, & conſtat multos, immo pene innumeros tangere, & arcte ægros attrectare, & amplecti, nullo incommodo, nullo bonæ valetudinis detrimento, nullaque contra peſtilens virus (ſi quod extaret) cautione adhibita. Qui vero hactenus ægrotarunt, multi ſimilium ægrorum conſuetudine caruerunt. Medentium autem pars magna occidit, non ob ægrotantium conſuetudinem quibus cum alij arctius, & coniunctitius tuto vixerunt; ſed*

*quoniam*

*quoniam interim alii voluptatum, alij pecuniæ ſtudioſiores fuere, quam propriæ valetudinis, & ſalutis. incidere autem in morbum publicum, & popularem propter aeris conſtitutionem, quæ mala, & preter natura exiſtit: & hominum corpora, quacumque de cauſa ad ægrotandum parata, in id ſolent morbi genus delabi, quod ab aeris potiſſimum conſtitutione induci ſolet; ab ea vero morbi vulgares maxime naſcuntur: eſt enim veluti charačter quidam, & ſigilli imago, qua inſignitur, ceræ inſtar, quæcunque obſignationis capax materies: Sed contagij nulla ratio. Nec obſtat, vt ante obijciebatur; plureis confeſtim ſimili morbo correptos eſſe, quoniam ex aeris ſola conſtitutione ſæpiſſime eodem tempore, locisque diſtantibus, inter quos nulla interceſſit conſuetudo, eadem ægritudine capiuntur. Nec obſtat, rurſus, has febres vocari peſtilenteis, & maculas rubras magnam, & excellentem vim putredinis indicare; & peſtem ipſam maxime eſſe contagioſam; Peſtis enim, & morbi peſtilentes: etſi contagio communicari poſſunt; attamen naſcuntur quoque ſine contagio. Itaque certiora contagia, indicia, quam quæ dicta ſunt, deberent inueſtigari. Nibil eſt igitur, quod euidenter doceat, & efficaciter perſuadeat hanc ægritudinem contagioſam eſſe.*

*VTRVM*

## VTRVM TIMENDVM SIT, NE GRAVIOR æſtate morbus euaderet. CAP. VI.

VTRVM vero per æſtatem grauior morbus expectandus ſit quæſitum eſt ſæpe. hocque nonnulli ſibi perſuadebant: quoniam ſi ſaluberrimo anni tempore tam grauiter affligebat, quid erat exſpectandũ tempeſtate minus ſalubri, præſertim cum Solis defectus media æſtate futurus ſit eodem fere tempore, quo factus eſt anno ſuperiore, quo multi ex vulgari ſimiliter morbo, diuturno quidem, ſed valde graui laborarunt. Verum, etſi de futuris (vt vulgatum verbum eſt) contingentibus, certa prædictio non exſtat, non eſt (vt aiunt) veritas determinata, ea tamen mihi ſpes ſemper fuit (quod ſæpius cum amicis contuli) fore, vt æſtate morbus deſineret, nec reuerteretur vllo modo, ſi cæli cõſtitutio modum reciperet: qui modus erit, vt imbres tempeſtiue fiant, & flatus aquiloniј, præſertim matutino cieantur, quos Eteſias, & prodromos Græci appellarunt. quod & factum eſt: & votis euentus hactenus reſpondit: nam rari admodum ſunt, qui nunc, Sextili menſe ſcilicet, illo febris genere capiantur, & mutatam experimur morborum conſtitutionem, & loco acutarum febrium oriri tertianas, ſemitertianas, dyſenterias, & teneſmos. Eteſiæ quoque ſæpe ſpirant, & crebro imbres facti modum æſtui poſuerunt.

Quamuis autem ver, ſaluberrimum anni tempus, morbiferum

*biſerum hoc anno exſtiterit, non tamen fuit æſtas perniciosior exſpectanda; quoniam nulla eſt certa ratio, nulla neceſſitas in temporum ſucceſſione: & rerum euentus docuit, Veri inſalubri Æſtatem quandoque ſuccedere ſaluberrimam, Autumnum leuem, & minime morbiferum, minimeque lethalem.*

*Solis autem defectus, hoc menſe Iulio, ſcilicet ante diem decimum tertium Cal. Auguſti; paucis ante quam hæc ſcriberentur diebus; quid portendat, Aſtrologi nuntiabunt. Illud mihi compertum eſt, cum Ptolemæus admonuerit, colores obſeruandos, quos ſidus deficiens præſefert, & rerum quarundam, quę iuxta ſidus aliquando apparent, cuiuſmodi, virgę ſunt, atque areæ, colorem nullum ſolis hoc anno deficientis obſeruari Romæ potuiſſe, ob tempeſtatem ipſo Nouilunij, & defectus tempore repente obortam: quamobrem nec ipſius defectus (qui alioquin non magnus exſpectari debuit) nec rerum ipſi propinquarum ſideri obſeruatio vlla fieri potuit; cui accedit, Nouilunium hoc accidiſſe Sole ac Luna extremas Cancri partes peragrantibus, quamobrem nihil aut parum ad Italiam, & cæteras Europæ regiones pertinere, ab eodem auctore Ptolemęo diſcere valemus.*

## QVÆ PRÆSIDIA IN EIVSDEM MORbi curatione contuliſſe viſa ſint. Cap. VII.

IAM conſequens eſt, vt de præſidijs, quæ contuliſſe obſeruatum eſt, ad vſum, & inſtructionem poſteritatis, dicatur:

Natura igitur primum hæc præſtabat: aluum mouebat, & liquidam faciebat. lotium pleriſque copioſum, craſſum, perturbatum ciebat, nonnullis vero copioſum quidem, ſed tenue. Sanguinem denique de naribus effundebat. & per hæc ſigna multi ſeruati ſunt, vt in ea morborum conſtitutione accidit, quam Hippocrates tertiam deſcribit libri primi Epidem. Sect. ſecunda, vt ante retuli: Non quidem quod multiplex materię genus hunc morbum excitauerit, atque ob id multiplex fuerit euacuatio neceſſaria: Sed quod (vt Galenus indicauit ad tertiam ſectionem libri primi Epidem.) bilis in corporibus multa partim ſanguini mixta, & in caput delata, venis narium apertis, ſanguinis eruptionem concitauit: partim ad ventrem, partim ad vrinæ vias tranſmiſſa, fluores alui pluribus, & dyſenterias nonnullis, mictiones vero crebras, & multas pene omnibus induxit: & quibuſdam ad cutim collecta regium morbum effecit. hæc igitur naturæ ſponte euenerunt.

Naturæ vero inſtitutum Medici ſecuti, ſanguinem è capite

*pite mittere ſæpius tentarunt. Humerariam venam in vtroque brachio ſecuerunt. Hirudines, naribus, temporibus, retro aures affixæ ſunt. Vena frontis à multis inciſa eſt: ex eius tamen ſectione non plus, quàm ex reliquis ægroti proficiebant: licet eam nonnulli plurimi facerent, & veluti ſingulare remedium prædicarent. qui poſtea, vſu docti, agnouerunt, quacumque ratione è capite ſanguis traheretur, ſaluberrimum eſſe. Venæ dictæ ſectionem probauit quidem Hippocrates 5. aphoriſ. 68. ad ſoluendos occipitis dolores. at non, ſi ſit diuerſi generis dolor. nam dolente occipite retrahitur ſanguis ad partem dolenti contrariam. in alijs vero ſecus contingit. Nec oſtendet aliquis, venam hanc maiorem habere affinitatem cum partibus capitis dolentibus, quam quę ſunt poſt aures, aut in temporibus, aut in ipſis naribus: nam dolor aut erat intra, aut extra caluariam: vtrumuis fuerit, hæc vena, vt aliæ dictę, vtq; ait Veſalius li. 3. de hum. corp. fab. cap. 7. ab externis iugularibus deriuatur: itaque non poteſt magis dictis doloribus prodeſſe, quam reliquæ.*

*Purgatio ventris non fuit æque commoda, & ſalutaris; quæ videlicet à medicis tentata eſt; quæ ſponte naturæ euenit, viſa eſt profuiſſe. Sed non fuit hac parte natura imitanda (ſi quis hoc obijciat) quoniam ſecandę venæ, & ventrem irritandi ratio diſſimilis eſt: nam vt ſponte hiſcentibus venis ſanguis emanat, ſic eiſdem gladiolo apertis ſanguis erumpit, nec fallit, quod in venis ſanguis dumtaxat naturaliter continetur; at pharmaca ſępe fallunt, quia vel nihil, vel aliud mouent, quam opus ſit, vel copioſius ducunt, quam volumus, vt vere ab Hippocrate ſcriptum eſt frag-*

*mento libri de medicamentis purgantibus, & veteres medicinę auctores in febribus, & maxime acutis purgantia pharmaca ſuſpecta habuere. itaque Hippocrates 1. aphor. 24. in acutis docet affectibus raro medicamenta purgantia offerenda. Male autem conſilium Hippocratis percipiunt, 1. aphor. 21. qui ſtatim illud canunt, Quo natura vergit, quaſi doceat, ſi copioſa mictio fiat, lotium cientibus, ſi aluus fluat, pharmacis purgantibus vtendum. Cui opinioni maxime repugnat, quod non procul inquit, quæ iudicantur, non moueto. & illud 1. aphoriſm. 20. In acutis raro, & in principijs, &c. Itaque non docet, naturam obſeruandam, vt qua parte ducit, eadem & nos ducere protinus debeamus: Sed, illud primum, docet, ſtatuendum, quæ ducere oporteat; quod vbi ſtatuerimus, tunc monet, ducendum, quo natura vergit, & per loca conferentia, propterea in eo aphoriſmo non ait ſtatim, quo natura vergit, ſed primum inquit, quæ ducere oportet. Eſt igitur primo conſilium capiendum, quæ materies ducenda ſit. in hac autem conſultatione, morbi præcipue natura perpendi debet; Morbus autem acutus plerumque reſpuit purgationem, & ſanguinis miſſionem deſiderat. quapropter, cum ſanguis ducendus videatur; ſi nonnihil de naribus fluxerit; cum ea ſit regio, qua ſanguis veniens capitis dolorem ſæpenumero ſoluit; 6. aphoriſ. 10. quod genus doloris febres acutas plerumque comitatur; & Hippocrates docuerit initio quarti libri acutorum, ſanguinis de naribus eruptionem in ardenti febre ſalutarem eſſe; & obſeruatum tradiderit in illa tertia conſtitutione, quam deſcribit in ſegmento altero libri primi Epidemiorum; tum, in-*

*quam, cum ſanguis ducendus eſt, ſi nonnihil de naribus fluxerit, per eandem partem à medico ducendus eſt. Si vero aluus modice fluxerit (ne dicam immodice) non eſt natura imitanda, nec irritanda: quoniam morbus repugnat. Scilicet, poteſt quidem natura acres ſuccos ſanguini permiſtos ſecernere, & ad vrinæ vias, vel in ventrem deducere. ars autem, nequaquam. Qui hoc pollicentur, non quod artis eſt faciunt, ſed opinionem (ne quid grauius dicam) pro arte venditant. nonnunquam ſuccedit, cum videlicet, turget, (quod Hippocrates 4. aphoriſ. 10. docuit) & hoc artis eſt. alias obeſt plerumque, niſi forte natura medicorum auſui obuiam iuerit. Itaque ſæpe notatum eſt, ægros, quo die medicamentum biberint, eodem in media purgatione occidiſſe.*

*Non eſt igitur mirum, vti neque nouum, in hoc tam vulgari morbo, & exitioſo, purgationes minus commode, & ſalubriter ceſſiſſe, quam ſanguinis extractionem.*

*Quoniam vero contagij ſuſpicio non deerat, & peſtilens, & malignum quiddam in hoc morbo ineſſe communiter ſtatuebatur; pene omnes tam medentes, quam ægri, ad ea confugiebant, quæ alexipharmaca Græci vocarunt: quibus peſtilens illud, & malignum virus oppugnari creditur. e quibus Citrij acor, Mithridatica confectio, Ruta vocata Capraria, lapis Bezaar (vt vulgo vocatur) Margaritæ, Corallium, Terra Lemnia, Cornu Rhinocerotis, Cornu Vnicornis, Hyacinthus. de quibus ſigillatim diſſerere huius loci non eſt: nam de medicamentorum facultatibus diſputatio longior eſt, quam meo huic inſtituto conſentaneum*

*ſit:*

*ſit. hoc generatim, atque vniuerſe dictum eſto, nullum eſſe argumentum, quod doceat, hæc pharmaca, quibus oblata ſunt, adeo profuiſſe, vt abſque ipſorum vſu, morbus hic credendus ſit, aut nullo modo, aut non tam feliciter domari, & debellari potuiſſe, atque ijs acciderit, quibus celeriter, & accurate hoc remedij genere cautum, & prouiſum eſt. Vnum eſt, quo nituntur, quibus cordi eſt, his vti remedijs, experimenta: etenim dicuntur ægri multi, qui eis vſi ſunt, priſtinæ ſanitati reſtituti. Sed argumentum retorquere facillimum eſt. nempe, ſunt ea præſidia inutilia, & fortaſſe noxia: nam id docent experimenta: quoniam, qui vſi ſunt eis, multi obierunt. nec obijcias, plures adhuc perituros fuiſſe, niſi hæc accepiſſent: quoniam multi ſine his morbum ſuperarunt, & ſeruati ſunt. Nos quoque in Vrbe verſamur, & in hac luce viuimus, vbi teſtimonium multi dabunt, qui ex hac lue (Deo in primis annuente) opera noſtra conualuerunt; quos nonnulli quoque ex noſtris auditoribus peritiores, diſciplinæ cauſſa, accurate admodum, & diligenter obſeruarunt: cum omnem interim remediorum huius generis rationem poſtpoſitam habuerimus; niſi, qua nos aliquando neceſſarium duximus, ægrotantium ſpem hac imagine diligentiæ ſuſtinere; vel nimium nos quorundam ſtudium adduxit, impotenſque ſanitatis deſiderium; vel timor, ne contumacis animi crimen ſubirem. Quod dictum accipi nolim de vniuerſo morborum genere, publico, & populari, maximeque de contagioſo, ac peſtilenti; de quo opportuno magis loco tractari poterit; ſed de eo tantum, cuius gratia hæc à nobis ſuſcepta diſputatio eſt, de Romana,*

*inquam,*

*inquam, morborum huius anni pernicioſa conſtitutione. Hæc de medicamentis hactenus.*

*Iam pauca ſuperſunt, quæ de viuendi ratione dici debent. Cum enim alias victus ille idem ſeruandus fuerit, qui morbis acutis de Hippocratis ſententia congruens eſt, de quo non eſt hic diſſerendum; illud vnum in quæſtione poſitum eſt, an huic malo vinum magis, quam reliquis ſalutare repertum ſit. quibus reſpondendum exiſtimo, vt alijs rebus, de quibus hactenus diximus, ſic vſu quoque vini morbum hunc dici nouum non debuiſſe, vinique exhibendi eandem; quam alijs temporibus, morborum eiuſdem generis habitam nouimus; haberi rationem debuiſſe. Vinum in acutis quoque morbis veteres medici exhibuere, vt eſt auctor Hippocrates initio lib. 3. de rat. vic. in acut. inquiens, Dulce autem vinum, & vinoſum, & album, & nigrum, & aquam mulſam, & aquam, oxymeli, his ſignis oportet definire in morbis acutis. Scilicet hæ quattuor fuere potiones, quibus illa tempeſtate in morbis acutis vtebantur, præcipue: de quibus ſingulis eo loco Hippocrates aduerſus antiquorum inſcitiam diſputabat. illos enim arguebat, quod vini facultates, & vires pro vinorum varietate ignorabant: propterea, poſtquam enumerauit, quas ipſe obſeruauerat, vinorum facultates, inquit, Bona autem hæc ſunt vtilitatis vini, & noxæ indicia, quæ incognita maioribus meis fuere. & ne forte exiſtimes, ipſum in acutis morbis ab vſu vini abhorruiſſe, ſubiungit rectam, quam putabat, vini exhibendi in eiſdem morbis rationem, & inquit, Fuluo autem vino, & nigro auſtero in his morbis ad hæc vti poſſis.*

*ſis. ſi capitis grauitas non inſit, neque mentis perculſio, neque ſputum ſalſum efferri prohibeatur, neque vrina ſupprimatur. Deiectiones vero humectiores, & ramentoſiores ſint. In his decet maxime tranſmutare ex albo. Sed illud quoque docuit, vinum alias meracius, alias dilutius bibi ſolitum, & hac varietate varias quoque vires habuiſſe, itaque inquit, Scire autem expedit partes omneis ſupernas, & veſicam minus læſurum, ſi aquoſum exſtiterit, inteſtinis vero, vel magis profuturum ſi meracius fuerit.*

*Eſt autem non ignorandum (licet hoc vberius explicare alterius loci eſſe non ignorem) illius ſæculi medicos in acutis morbis, præſertim vehementioribus, & qui celerius iudicabantur, ſolis vſos eſſe potionibus. Hippocratem vero eam ſecutum eſſe rationem, vt per vigores quidem eorundem ſolo vteretur potu, alias vero vel ſorbitiones, vel cibos offerret; vt mirandum non ſit, ſi minus ab vſu vini ægri læderentur: multum enim intereſt, vti ſolo vino, vel vna cibis, & ſorbitionibus, quibus nos vtimur. non tamen adeo tutus vini vſus credebatur (neque enim erat) quin rurſus eodem libro Hippocrates ſcripſerit, Suſpicati autem in his morbis capitis grauitatem fortem, aut mentis perculſionē, omnino abſtinendum eſt à vino, aqua vero in huiuſmodi vtendum eſt, aut aquoſum, & album omnino dandum eſt vinum, & omnino ſine odore, &, poſt illius potum, aquæ parum inſuper bibendum. Hanc Hippocratis rationem noſtra ætatę medici peritiores ſequi ſolent, & in hac ægritudine ſecuti videntur: etenim nemini initio, & creſcente malo dabatur, cum dolor capitis aderat, & delirium timebatur. Sed vbi*

dolor

*dolor remiſerat, & ſanitatis indicia apparebant, tunc eſt denique datum vinum, ſed nec generoſum, nec meracum: datum eſt Maſſicanum vocatum, Aſperinum, Albanum, & ſimilia vulgo notiſſima, admodum aquea, & debilia, & multa aqua permixta: quoniam, cum ad erigendos ægrorum animos, timore languenteis, ob periculum minime latens; quia ſe morbo lethali correptos nouerant; conducebat: tum aliquod commodum afferebat; quoniam pleriſque alui fluor accedebat, quem ſolet virium grauis iactura conſequi. cui periculo vini vſu moderato occurritur. Ex his vero, quæ hactenus expoſita ſunt, intelligi poteſt, nihil in hoc morbo nouum exſtitiſſe; nihilque in eius curatione prioribus ſæculis ignotum; quod manifeſte profuerit; repertum eſſe. Sed fuiſſe acutum febris genus, cuiuſmodi ætas omnis, & quælibet regio ferre ſolet.*

**F I N I S.**

REVERENDISSIMO D.

# F. BARTHOLOMAEO DE MIRANDA

SACRI PALATII MAGISTRO.

*ANTONIVS RIBERO MEDICINAE DOCTOR S.*

MArſilij Cagnati Veronenſis, clariſsimi Medici, de Romana Epidemia, Diſputationem perlegi, & vt omnibus numeris abſolutam, mirificè probaui: arbitrorque, non ſolum Medicis, & Philoſophis, ad vſum, ſed etiam, populo Romano ad vtilitatem, cum morbus adhuc graſſetur, maximè neceſſariam. Vale.

---

*Imprimatur.*

P. Ant. Viceſg.

*F. Barth. de Miranda.*

V. Tagliafer.

# BREVIS MORBI EIVS DESCRIPTIO,

## QVI HOC ANNO M. D. XCIII. per Vrbem vagatur. Cap. I.

*POST Idus Iunias, ipſo pene Solſtitio, febres cæpere quædam obſeruari in adoleſcentibus præſertim, ac iuuenibus, continuæ quidem, ſed valde breues, vt quæ vno vel altero die in plériſque remitterent, & in alijs triduo, aut, ad ſummum quattriduo. quibus accedebat capitis dolor, tuſſiſque in omnibus, faucium, ſiue gutturis ardor quidam in multis, grauedo quoque aliquibus, & mala pituita naſi. procedente tempore communicatus eſt pluribus, vt Iulio ineunte iam plerique huius vim morbi ſint experti. cum aliquis primo in numeroſa familia ægrotat, in eadem paucis poſt diebus multi eodem febris genere capiuntur. Sanantur multi victus moderatione, vino, carnibus, victuque reliquo pleniore ſibi temperantes: ijſque felicius res ſuccedere videtur. intemperantiores quidam grauius laborant, & tardius ſanantur. criſis nulla, nulluſque abſceſſus: niſi criſim dixeris, ſputum tuſſi reiectum, & abſceſſum tuſſim ipſam, qua creſcente in quibuſdam capitis dolor minuitur. Fuit*

tamen qui narrauerit, capitis dolorem poſtremo acceſſiße, cum tuſſis remitteret. Alui deiectio pro cuiuſque natura, multis parcior, quam par eſt, paucis vberior. Lotium cunctis fere, quale per bonam valetudinem ſolet eſſe: nonnullis tenuius, & minus ſolito coloratum, vt ſolet cruditatem indicare. Sanguis nonnullis hactenus miſſus eſt, modicus tamen, pluribus aluus leni pharmaco ſubducta, pleriſque ſola ſatis fuit in victu continentia. Medicorum vſus non frequens: res viſa leuis, & citra periculum, & neſcio quid ridiculi continere, vt ridiculam appellationem nacta eſt. Diſſimilis morbo illi, qui Europæ vniuerſæ communicatus eſt ante annos tredecim, quod hic breuior, quod appetentia non aboletur, vt in illo, quod facilius fertur, & ſine tanta virium iactura, quanta ex illo oriebatur. Hunc, ante quam Romæ ſentiremus, præuenit fama aliquot præcipuas ciuitates Italiæ magis occiduas, ſenſiße. De Venetis primum eſt auditum, deinde de alijs. Sed illum primo apud Belgas exortum accepimus, poſt terræmotum quendam vehementem, qui regiones illas Belgicas omneis quaſſauerat, deinde quadam vertigine ad omneis Europæ regiones paullatim perrexiſſe. Romam ab occiduis partibus delatus eſt, & veluti ſucceſſione, ac ordine quodam profectionis ad oppida & ciuitates, quæ ad ortum vergunt, hinc diſceſſit vterque. Ille ſi quem offenderet graui morbo laborantem, vel ex eo non ita pridem reſurgentem, breui interimebat: aliquibus deſijt in pleuritidem lethalem: ſed maxima pars ſanitati reſtituebatur. Poſtquam febris remiſerat, diu ciborum auerſio manebat. quæ in hoc non apparuere. Ille denique pauciſſimos intactos

reliquit, vt in ampliſſima familia vix duo, aut tres intacti euaſerint: hic parcit multis.

## MORBI NATVRA, ET CAVSSÆ. Cap. II.

MOrbus non eſt acutus, etſi breuis, quod ſi quis hoc genus ad examen reuocet antiquorum, febrem eſſe ſtatuet, quæ Ephemera Græca voce nunc etiam vulgo appellatur: quæ, vt omnes fatentur, breuis eſt, cumq; vacet periculo, acutus morbus dici non poteſt. Cauſſæ vero huius morbi quædam communes, quædam ſunt propriæ: euentus docuit, quos attigit, hos redundantia ad eum concipiendum propenſiores fuiſſe: pituitaque ipſa idoneum fuit ipſius redundantiæ argumentum. Sed hoc commune cunctis fere morbis eſt, ſiue vulgares ſint, ſiue ſparſi (vt ab Hippocrate vocantur) & vulgares ſiue ſint vnius ciuitatis incolis communes, ſiue plurium. Qui enim communes ſunt, eos communem cauſſam habere oportet effectricem, vel aerem, vel huius generis aliam: quod ſi potus ſit, vel noxium cibi genus, ſi ſordes aliquæ communicentur, ſi labores aliqui communes, vt militiæ, vt meſſis (ex his enim, & ſimilibus ſæpe morbi communes oriuntur) hoc ex ipſa victus obſeruatione intelligitur. Vbi ex his aliquid non eſt, quod eſſe non poteſt in morbis latiſſime vagantibus: nam ex rebus neceſſarijs (vt à medicinæ auctoribus appellantur, à quibus dici

quoque

*quoque ſolent non naturales ) nulla poteſt communis eſſe in tanta regionum diſtantia, & nationum, morumque, & rituum, & viuendi varietate, præter aerem ipſum, vel cælum. vbi igitur nullam ex alijs rebus neceſſarijs adeſſe conſtat, cælum ipſum, vel aerem cauſſamur. In quo varias ineſſe vires ad varia producenda morborum genera, neceſſarium eſt affirmare, quamobrem alias hoc, alias illud morbi genus producat: neque enim ante triennium lethales febres in Vrbe vagatæ ſunt, hoc autem anno febris hæc tam mitis; non per ſolam Vrbem, ſed per alia loca pene innumera: ideo graſſatur, quia par in hominibus ad ægrotandum propenſio ſit, ijque pro annorum varietate alij, atque alij ægritudini obnoxij euadant: hoc enim eſt à ratione alienum, magna exiſtente inter homines varietate, præſertim inter incolas locorum inter ſe magno interuallo diſtantium, vt Roma, & Venetiæ: cum magna quoque ſit inter eos, qui eandem Vrbem incolunt diuerſitas, ob ſexum, ætatem, temperamentum, & victus modum. capiuntur igitur eiſdem in tanta varietate ægritudinibus, quoniam, cum ſuapte natura hominum genus omnibus morbis obnoxium ſit; vis ambientis nos aeris, vel cæli, ad res infernas commouendas efficacior eſt, quam hæ ad pugnandum cum aere ipſo, vel cælo. Nec ob id non eſt illud Ariſtotelis verum, omnia recipi pro modo, & ratione eius, à quo recipiuntur; quoniam hæc enunciatio de ijs, quæ accedunt rebus, non de rebus ipſis accipi debet. Aqua enim gr. ex quocumque vaſe recepta, ſemper eſt aqua, ſed in vaſe puro remanet pura, in ſordido autem impura fit. Morbus igitur*

*tur hic*

*tur hic à cælo factus, varietatem aliquam recipit, quia alia mitius, alia aſperius afficiuntur, in aliјs tardius, in aliјs citius remittit; ſed vis cæli efficit, vt conſimili morbo in maxima rerum varietate innumeri capiantur. Eſt igitur hic morbus ab aere, vel auctore præcipuo, vel quaſi vehiculo, ac ſequeſtre, cum cælum ſit effector princeps. Quid vero in aere, atque in cælo fiat, quamobrem hi morbi oriantur, res eſt, quam humani vis ingenij aſſequi non poteſt, ſed nec loci huius eſt diſputare, vtrum huius, & ſimilium morborum cauſſa ſit aer primaria, an vero à cælo vim occultam aliquam aſſumat; quam mortales ductam ſpiritu concipiant; aut à terris ipſis, aduerſum aliquid humanæ naturæ exhalantibus. Illud profecto non receperim, idcirco febrem hanc exortam cum cæteris, quæ eam comitantur, quoniam Sol, cum primum attigit vernam ſectionem, & præſentis anni celebrauit primordia (pro Aſtronomorum obſeruatione, qui annum incboant à primo Solis ingreſſu in Arietem) tunc Saturnus; quem deſtillationis in pulmonem auctorem faciunt, è ſexta domo vocata, morborum nuncia, quam Cancer occupabat, cui pulmonem, & pectus ſubijciunt; horoſcopum ſuſpiceret: quoniam huius præſagitionis fundamenta ſatis ſuperque alibi conuulſa ſunt. cui accedit, non propterea cauſſam apparere, cur hæc febris & tuſſis potius orta ſit, quam reliqui morbi, quorum auctor Saturnus ab ijs creditur, qui huic præſagiendi rationi operam nauant. Nec ſimiliter ratio apparet, cur tam mitis exiſtat, qui graſſatur morbus: neque enim dici poſset, Iouem ex aduerſo Saturnum deſpicientem, vim Saturni frangere potuiſſe, nam vt con-*

*curſus*

*curſus boni ſideris cum malo, ita oppoſitus eorundem malus exiſtimatur (quamuis de concurſu dubitari poſſet, quia Ptolemaus videtur docere, mali nequitiam boni ſyderis miſcela infringi) cui adde, tunc Martem quoque ex aduerſo Saturnum deſpexiſſe; licet inter ſe permutatis ſtationibus, cum ſexta Marti dicata ſit, in qua erat Saturnus, & duodecima Saturno, in qua Mars erat: quæ permutatio nullo commodo fieri potuit; nam ſi bonam infortunio afficit malum ſydus, dubio procul malum malam deteriorem efficere debet. eſt vero per ſe malus (vt aiunt) Saturni, & Martis oppoſitus, quia noxia reputantur hæc duo ſydera, & de noxijs ſtationibus huius anni horoſcopum feriebant. Sed nullus eſſet dicendi finis, ſi rem hanc diligentius perſequi conſilium eſſet. Neque hoc etiam Solis tribuemus defectui, qui non ita pridem accidit, ad tertium videlicet Cal. Iunias; quoniam, qui prædicere ex eo defectu futura veriti non ſunt, ij vim eius ad annum ſequentem dumtaxat pertinere admonuerunt. An hoc à Lunæ binis defectibus anni elapſi fortaſſe originem duxit? nequaquam: quoniam ijdem prædictionum ſtudioſi ex altero defectu, qui accidit viij. Cal. Iulias poſt occaſum Solis, longas ægritudines, & lethales prædixere futuras eiuſdem anni Autumno toto: vt hæc prædictio ad annum præſentem non ſpectet: ne quid dicam de anni elapse ſalubritate. Ex altero vero, qui factus eſt xv. Cal. Ianuarias, hora fere ſecunda noctis ſequentis, ſimile dicto morborum genus augurati ſunt futurum Vere huius anni: cum tamen nihil eiuſmodi Vere præterito euenerit. Nec mihi quiſquam obijciat, Romæ febres ortas valde lon-*

*gas,*

*gas, quas duplices tertianas vocamus. Hoc enim, etſi verum eſt, hos tamen vaticinatores à culpa non liberat: etenim docere in primis debent, hoc paſſim alibi eueniſſe, quia prædictio illa ex defectione Lunæ ad vniuerſum pertinet, non ad vnam, vel alteram ciuitatem. deinde febres hæ non Vere, ſed Hieme media cæpere, & Vere accedente multæ ſolutæ ſunt. poſtremo non fuere letales, vt prædixerunt, cum omnes ad vnum ſanati ſint. Quamobrem nec genus morbi, nec tempus ea defectio Aſtrologis indicauit. Eſto igitur ſatis, huius morbi originem cum Hippocrate libro de flatibus in aerem reducere, vel ob aliquam peculiarem temporum ſucceſſionem, quæ morbi genus hoc produxerit, vt in aphoriſmorum ſectione tertia, & libro de aere, aquis, & locis ipſe Hippocrates docuit, ex alijs, atque alijs temporum ſucceſſionibus alia, atque alia morborum genera oriri: nam gr. ex. alia ſiunt Vere, & Æſtate, ſi Hiems præceſſerit aquilonia, & ſicca, & Ver pluuium & auſtrinum fuerit, quam ſi præceſſerit auſtrina Hiems, & Ver fuerit aquilonium: & Hieme alia fient ſi præcedat ſicca Æſtas, Autumnus vero pluuius, quam ſi idem ſit ſiccus, & aquilonius. Vt vero noua ſemper monſtra in Africa naſcuntur, ob animalium diuerſi generis miſcelam, ita in orbe reliquo, ob varios conſtitutionum concurſus, & varias ſucceſſiones; aer aliter, atque aliter affectus poteſt varias morborum ſpecies, vel nouas, & incognitas producere, vel veteres, & alias cognitas nouis caſibus nouitatis iure donare,*

I MORBI

## *MORBI COMMVNES, an valeant præſagiri.*
### *Cap. III.*

*SED cum neceſſario inciderimus in ſermonem de communium morborum prædictione, quæſtio curioſa eſt, cum hoc morbi genus, de quo pręcipue agebamus, Aſtrologi non prædixerint; Vtrum ratio aliqua ſit prædicendi morbos huiuſmodi futuros: quoniam aliquid huiuſmodi affirmaſſe Hippocrates viſus eſt iјs locis, quos modo memorabamus: diſertius vero libri de Aere, & aquis, & locis initio: cum admonet, qui ea, quæ ibi narrantur, obſeruauerit, poſſe morbos prædicere, qui futuri ſunt in quacumque ciuitate illa obſeruauerit, tam communes, quam ſingulorum. ac proditum eſt, Hippocratem peſtilentiam pręadixiſſe. Dico breuiter magnam quidem artis medicæ partem in prædictione verſari: ſed hoc prædicendi genus ad ſingulos, qui curantur, homines pertinere, vt morborum, qui iam facti ſunt, exitum præcognoſcamus. Quod vero pertineat ad prædicendos morbos ſingulorum futuros, aliquid traditum quidem eſſe: de communibus autem vnius loci, vix quicquam ſcriptum reperiri. Sed multis regionibus communem morbum præſagire, hoc nullam partem medicæ artis complexam eſſe, vt Aſtrologorum quoque auſus in ea re vanos experimur.*

*Nec perſuadent, quæ dicta ſunt ex aphoriſmis, & libro de Aere, aquis, & locis, Hippocratem hoc voluiſſe: nam, quæ ab eo dicuntur, caute accipienda ſunt, alioqui ſæpe fallunt; vt enim in ſingulis anni temporibus docet, quæ morborum genera exſpectanda ſint; ita ex variarum conſtitutionum concurſibus, vel ſucceſſionibus docet, quæ ægritudines fieri conſueuerint, & idcirco communes quoque morbos præuidere. Æſtate igitur, inquit, fiunt febres ardentes, tertianæ, quartanæ, & alia, quæ habentur in tertia ſectione aphoriſmorum, tamen ſæpe vix aliquod veſtigium earum ægritudinem apparet, quemadmodum, hac æſtate, hucuſque eueniſſe Romæ, certum eſt: & aliorum temporum ratio par eſt. Quid ergo ſtatuendum? Non poteſt eſſe alius ſenſus verborum Hippocratis ijs locis, niſi, Æſtatem per ſe morbos non producere, ſed ſi qui committantur errores tam graues, qui ęgritudines pariant, tunc vero naſci ardores, & alios morbos, quos Hippocrates recenſuit. ſimiliter Vere (ſaluberrimum alioqui dictum) ſi quis ob errores, vel peculiare vitium paratus ad ægrotandum ſit, furores fiunt, comitiales, & cęteri: eſtque ſimilis aliorum temporum ratio. Non eſt igitur prędictio definita, & pręciſa, ſed poſitis quibuſdam, vt dictum eſt. Quod vero dictum eſt de anni temporibus, accipiendum eſt quoque de variarum conſtitutionum concurſu, & ſucceſſione: neque enim ſemper ex Hieme ſicca, & aquilonia, Vere autem pluuio, & auſtrino fiunt Æſtatę febres acutę, & lippitudines, vt in eiuſdem tertię ſectionis aphoriſmo duodecimo traditum eſt, neque ſemper ſimiliter fiunt, quę dicuntur*

 in tri-

*in tribus, qui ſequuntur, aphoriſmis, at fiunt ſi quis vel ob errores, vel naturale vitium aliquod, aut malum quempiam habitum, parati ſint ad ęgrotandum; non docet, inquam, futuros morbos, at, ſi dictis de cauſis futuri ſint, hos, vel illos futuros nunciat. præciſe ſcilicet futuros agnoſcere, nec docuit, nec docere potuit. Morborum vero, qui per multas gentes graſſaturi ſunt, longe maior ratio eſt: etenim prædictio medica longiori temporis obſeruationibus nititur, vni autem non licet homini in locis multum diſtantibus ſingula obſeruare, quæ ad artem, & ad definita artis documenta ſunt neceſſaria. Vbi diu aliquis habitauerit, & ea obſeruauerit, quæ Hippocrates docet initio libri, de aere, aquis, & locis, poterit ea in eis locis futura prędicere, quæ illæ indicare poſſunt obſeruationes. in quo prædictionis genere quanta cautione opus ſit, ipſe Hippocrates indicat libro de aere, &c. cum narrationi eiuſdem conſtitutionis, de qua in tert. ſect. aphor. 12. adiunxit, ſi circa Canis ortum pluat, & Eteſiæ ſpirent, ſpes eſt ceſſationis: quibus indicauit, poſſe illam prędictionem aliquo interueniente irritam fieri; & ante dixerat, Æſtate illa fieri morbos, ibi expoſitos, quoniam ęſtus duplicatus repente accedit: at quid ſi non fiat illa ęſtus geminatio? Sed ſuccedat Veri pluuio, & auſtrino Æſtas imbrium, & ventorum acceſſu clemens, & moderata, quod aliquando vidimus? tunc procul dubio ij morbi exſpectandi non ſunt. Non docet igitur definite, & præciſe prædicere, morbos futuros in ea ciuitate, in qua aliquis verſatur, ſed adhibitis conditionibus: quas adfuturas præcognoſcere, diuinum quoddam eſt, quod Hippocrates non docuit,*

cuit, & (vt arbitror) neſcinit. itaque ſæpius futuros morbos non medicus, ſed fuiſſe, docet euentus. Nec moueat, quod Hippocrates dicat, prædici morbos communes, τὰ πάγκοινα, quod interpretantur aliqui, morbos per diuerſos populos graſſanteis: quoniam falſa eſt interpretatio. docet tantum prædici poſſe morbos vel proprios ſingulorum, quos alibi ſparſos σποράδας vocat, vel communeis incolis eiuſdem loci, quos alibi ἐπιδημίους appellat, nam vox πάγκοινος nihilo plus ſignificat, quam ἐπίδημος, quod de vnius quoque populi morbo communi dici conſueuit, ſed qui conſueuerit alijs communicari: nam, qui proprij ſunt vnius loci, nec communicari ſolent, hos vocamus indigenas, & Græci ἐγχωρίους dixerunt. Sed hæc alio loco vberius explicata ſunt.

Caute vero accipiendum eſt illud, quod de peſtilentia dicitur, quam Hippocrates prædixit: nam futuram peſtilentiam, quando nuſquam eſt, nec prædixit Hippocrates, nec medici eſt cognoſcere. Sed eam, alicubi exortam, prædicere, in aliquam inde profecturam regionem, hoc non eſt penitus incredibile. Hippocrates in Illyrijs ortam, & Pæonibus prædixit in Græciam venturam, cum illius mores, & motum ex quibuſdam nuntijs cognouiſſet, vt ex oratione Theſſali ad Athenienſes conſtat. Alioqui in exortu peſtis ſublimius quiddam, ac diuinius ad cauſſas naturales accedere, valde conſentaneum eſt. Sæpe legere eſt in ſacris literis Deum O. M. peſtilentiam minatum eſſe, & mandaſſe prophetis, vt illam pariter minarentur, vt credendum ſit, id morbi genus iram potius diuinam, quam cauſſas ſequi

*naturaleis, ex quarum notitia futuram peſtem prædicere valeamus, quod & videntur Ethnici credidiſſe (vt aliqui interpretantur) namque idcirco cecinit Homerus Apollinem (Deum falſo à gentibus creditum) ira percitum (χωόμενος κῆρ) peſtilentiam in Græcorum exercitum immiſiſſe. cum ergo diuinitus immittatur, non eſt mirum, Hippocratem, prædictionum ſtudioſiſſimum, de peſte prædicenda nihil vſquam prodidiſſe, & admonuiſſe, obſeruandum, ſit ne aliquid in morbis diuinum: nam ſi quid eiuſmodi ſit; cum vires ſuperet humanas; artis medicæ limitibus comprehendi non poteſt: itaque nec Thucydides peſtem Athenienſium ab Aſtrologis, aut Medicis prænunciatam, ſed ab oraculo, ſcripſit. Et veniet Doricum bellum, peſtiſque futura: quamquam nec oraculorum vis aliqua eſſet, niſi qua Deus Opt. Max. permittebat, ea ratione homines illos, qui cultum ſoli Deo debitum oraculis tribuebant, à Dæmonibus decipi.*

*Sed ad cumulatiorem de cauſſis huius morbi tractationem, illud reliquum eſt, cognoſcere, an contagium aliquod extiterit. Ego vero non aliter ſtatuerim, atque reſpondi de re ſimili quærentibus in ea ægritudinis conſtitutione, quã Romæ tertio abhinc anno paſſi ſumus, & de qua ſeorſim nos commentarium breue exarauimus. nullo videlicet argumento conſtare, hunc fuiſſe contagioſum, vti quoque in illo nihil animaduerſum eſt, quod certo eſſet argumento, contagij vim ineſſe.*

## PRÆSAGIVM. Cap. IIII.

*CVM vero morbus hic non admodum ſit illi diſſimilis, qui tredecim ab hinc annis Europam vniuerſam inuaſit, de quo ante dicebamus: ille vero in quibuſdam decubuerit in morbos lethaleis; eſt ne idem euentus nunc exſpectandus? non negauerim, iuſtum rei huius timorem eſſe, ſiquidem hoc eodem tempore nonnulli in coſtarum inciderint dolorem, ncn ſine diſcrimine, poſtquam à priore morbo paullo ante liberati videbantur: Sed dixerim, feliciorem euentum futurum, pauciores videlicet, & minus grauiter ægrotaturos: quoniam hoc intereſt inter hunc & illum morbum, quod ille ſub Æſtatis exitum, Autumno imminente, acceſſit: quamobrem, cum ſuapte etiam natura ille grauius afficeret, corpora affecta, & afflicta magis Autumnus excepit, quæ anni pars alioqui pernicioſiſſima cenſetur: hic leuior eſt, & in Æſtatis adoleſcentia exortus: quapropter, cum Æſtatis pars bona tranſigenda relinquatur; quæ alioqui ſalubrior, quam Autumnus eſt; perſeuerante ſiccitate; feliciorem huius morbi exitum, quam illius, futurum exiſtimamus, niſi aut crebri præter exſpectationem imbres fiant, aut graſſari morbus non deſinat, ſed vſque ad finem Æſtatis perduret: nam qui tunc ægrotabunt, eos pericula eadem manebunt, quæ priorem illam ægritudinem ſecuta ſunt. Siccitatem vero perſeueraturam affirmare, aut ne-*

*gare,*

*gare, temerarium videtur. Nec facile credendum dicentibus, Solis & Saturni congreſſum, per exortum canis, naturalem tempeſtatis æſtum moderaturum: quoniam poteſt Sol ipſe, quam habet Saturni ſidus vim frigefaciendi, non autem Saturnus, quam Sol habet, calefaciendi, infringere. etenim in vniuerſa natura euenit quidem, vt contraria permiſta mutuo frangantur; ſed ita, vt fortioris victoria non obſcuretur. accedit Saturnum ex ijs eſſe ſideribus, quæ à coitu cum Sole vim acquirunt calefaciendi, & ab oppoſitu frigefaciendi, itaque ex congreſſu Solis & Saturni caloris incrementum exſpectandum eſſet, ſi qua Ptolemæo fides habenda eſt.*

*Cum hæc eo tempore hunc in modum ſcripſiſſem, nihil immutandum cenſui, ſed ſubiungenda ſolum, quæ, poſtquam ea ſcripſeram, euenere. quod fuit reliquum menſis Iulij, caruimus pluuia; & dum Sol Leonem perambulauit, cælum habuimus æſtuoſum, modicoſque imbres primis Auguſti diebus; inde ſiccitatem: extremam vero Leonis partem Sole ſubeunte, imbres paullatim cœpere. vltima Æſtatis & prima Autumni pars humida ſucceſſit.*

*Ceſſauit morbus ante deſcriptus, nec decubuit in aliquod peculiare morbi genus: ſed Leonem Sole perambulante ortæ ſunt prius febres illæ quotidianæ, quas tertianas duplices vulgo appellamus, ventris fluores, difficultates inteſtinorum, & febres continuæ, acutæque, non tamen valde frequentes, ex quibus aliqui moriebantur. præſertim vero ex hoc febris genere laborarunt, & occiderunt ſodales Carthuſiani in Thermis Diocletiani. Poſt idus Septembreis*

*ptembreis ægri pauciores. ipſo menſe Auguſto Cometes viſus ad ortum æſtiuum. reliquum iam expendendum Lectori ſtudioſo dimittimus.*

*FINIS.*

ERRATA SIC CORRIGES.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| pâg. 18. | lin. 13. | Calendas | lege | Calendis |
| 21. | 10. | Atheniefes | | Athenienſes |
| 22. | 5. | iudicaui | | indicaui |
| 25. | 21. | Empirico | | Empiricos |

*Imprimatur, ſi videbitur Reu. M. S. P.*

P. Epiſc. Rauellen. Viceſg.

*EGO Iulius Cæſar Galla in ſacra Theologia licentiatus, de mandato Reuerendiſſimi Patris magiſtri Sacri Palatij, perlegi hunc librum, nec in eo inueni aliquid Fidei, aut bonis moribus repugnans.*

*Imprimatur.*

Fr. Angelus Brixius de Cæſena, Reuerendiſſimi Magiſtri Sacri Palatij ſocius.

# REGESTVM.

A B C D E F G H I.

*Omnia ſunt folia integra, preter I, quod eſt folium cum dimidio.*

R O M AE,

Ex Typographia Aloyſij Zannetti. M. D. IC.

SVPERIORVM PERMISSV.